

18. Oct. 1868



Cl. III. B. 8. Nr.

04.-

Cl. V.  
n. 13.

13

247. B. f. 19. B. 2.

# R I N U M P E R F E C T U M

se V

C on CLV s lones Theo Log IC æ  
De

Beata, & præ Cæter Is CV n Ct Is e X op.  
tata D E I V I s l one : \*

Ineffab ILI q Vé S.S.S. Tr In Itat Is Ar Ca-  
no: & Del pro VIDentla s V pernat Vra LI,  
se V præ Destlnat lone. \*

Q Væ pr IV s pr IV atos Inter MV ros  
a D san Ctl Patrlar Chæ AVG Vst Inl, \*

el Vs q Vé AngelICl se Ctorls san Ctl  
thomæ Aq Vlnat ls LV Cernas e XC o Ctz, \* n Vn C  
Verò apertè In Vlg InrI assertls theo Log Iæ  
AL VMals g Vstan Dæ præstant Vr. \*

à P. AngelICo à san Cto AL tone e X strl Ctl ore AVg V.  
stlnana re Mo re Llglosso e XC al Ceato. \*  
præsIDlō

P. FeLICIs à s. Anna præfatl or Dlnls AVg V stlnan l  
ss. theo Log Iæ Le Ctorls In Con Vent V san CI Ioseph I  
Laba CI. \*

Typis, Adami Frid. Reichhardt, Inclytæ Provinciae Carn. Typogr.

153895



153895



N 903 / 1971

CELSISSIMO,  
Ac Reverendissimo Principi,  
Ac  
DOMINO, DOMINO  
**SIGISMUNDO FELICI,**  
DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS  
GRATIA EPISCOPO LABACENSI  
S.R.I. Principi, ex Comitibus de  
**SCHRATTENBACH,**  
LIB: BARONI IN HEGGENBERG, ET  
Osterwiz, Metropolitanæ Salisburgensis  
Ecclesiæ Canonico Capitulari &c. &c.  
Mæcenati ac Patrono Suo  
Clementissimo.

Reverendissime, ac Celsissime  
Princeps!

ꝝ

**S**vaevolentia riguenta non ferrum, non paleas, sed cor-  
da trahunt. Tuæ odoriferæ Virtutes penitus meum  
sibi suffuratæ sunt animum, dum me amabilitate sua veluti  
placidis amoris funiculis duxerunt captivum. Quamo-  
brem parce Clementissime Princeps! parce, quòd festino cur-  
su in odorem unguentorum tuorum currat venerabundus:  
non potui non petere Illius conclave, cuius universa Domus  
repleta est Pietatis, & charitatis delicijs: Sacrificare ad Aras  
honoris, ubi Sacerdos Magnus ingenti cum fœnore devoto  
Flamini gratificatur. Timuissem fixius arbitrari, ne di-  
cam proprius accedere Celsitudinem tuam, nisi scivissem, Te  
ad Celsissimum dignitatis fastigium evectum, non ut despici-  
ceres, sed ut communi prospiceres felicitati: Sacram portare  
Tiaram, quâ bonis appareres amabilis, malis videreris  
terribilis: gestare Pedum, quo abigeres lupos, defenderes  
Oves. Ecquis Tibi non omne Honoris, & Amoris sine par-  
simonia reddat Vectigal, quem Rex Regum honoravit, dum  
Te ab utero Matris speciali Privilegio è communigleba erep-  
tum nobilissimo cruore animavit? amavit, dum Te pre-  
millibus ad Sacerdotium Magnum exaltavit? Sivera No-  
bilitas Pietas est, sic omne tulisti punctum, & nobilior ipsa  
Nobilitate censeri debes, eò quòd cum Illustrissimo sanguine  
sanctitatem copulasti. Nolim meminisse, quæ Natura, &  
Vir-

Virtus in Ortum Tuum contulerunt charisteria, singula Tibi  
elogium adornant; equidem prodivisti ex illa multarum  
Imaginum inclyta Prosapia, quæ Sagô, Togâ, Purpurâ,  
rerum gestarum magnitudine famosos tot in mundo mutuvavit  
Heroas, quot genuit Viros: & si reliquæ orbis partes nulla  
usquam præclara memorie inscripsissent Nomina, una hæc,  
quæ Orbi sufficerent universo, è gremio suo abundè potuisset  
subministrare. Inde Schrattenbachiana Familia facile  
princeps, cuius auspicijs & Patriæ incolumentas, & hono-  
rum salus, & publici status gloria semper stetit inconcussa,  
cuius gloriofissima Decora Carniola Patria nostra in tuis  
Augustissimis facinoribus vivaci legit charactere, dum sibi  
applaudit, se in Te honorum Iliadem invenisse, & incon-  
stantem alias suæ felicitatis Rotam per SIGISMUN-  
DUM FELICEM stare perpetuitati. Ecur non illi  
continuò uberrima succrescat bonorum Sege, quando can-  
didissima vitæ integritas in vitia mittit falcam, & ini-  
 quam humum ad meliorem frugem doctrinæ proscindit  
aratro? ita est Celsissime Princeps! totum Te effudisti in  
commune bonum: & quamvis singulos vera felicitate  
abundare cupis, attamen præ reliquis Tibi altissima cu-  
ra est, gregis Tibi commissi stabilire salutem: unde Fi-  
delitas, Pietas, Doctrina, Zelus ad obseratam Man-  
dræ portam excubant studiosissimè, ne fors quempiam  
stygius ille impostor ad interitum rapiat: Hæc & hujusce-  
modi naturæ, virtuisq[ue] prærogativæ sunt suaveolentia  
unquenta, quibus aut iniquitate jugulati, aut torpore lan-

gventes ad vitam meliorem respirant: reliqua mitto, quæ  
pro DEO, & Rege, fide, & Religione, justitia, & incola-  
mitate Patriæ felicius impendis: Vereor enim ne jejuno en-  
comio meo Tibi p̄tis detrahere, quād addere videar. Suf-  
ficit, quōd nullus sit, quem non plenis uberibus præclarissi-  
marum Virtutum Tuarum fragrantia & innata Clementia  
aut lacet, aut allectet; ego me quoque hodie à Celsitudine  
tua attractum profiteor. Quare profundo poplite adgenicu-  
lor Celsitudini Tuae, & in calentissimorum votorum meo-  
rum tesseram bunc Ingenij Partum ( quem Theosophia Pu-  
erpera Angelico Doctore obstetricante feliciter enixa est in  
lucem ) Sacratissimis Tuis pedibus reverentissimè adsterno:  
fateor, hanc Opellam indignam esse, ut subeat conspectum,  
ne dicam: requiescat in sinu Celsitudinis Tuae, quia rudi con-  
cinnata est calamo; securus tamen vivo, quōd vilitatem  
tua Dignitas affatim compensabit: & ideo à tua magnitu-  
dine incrementum exposit. Accipe igitur eā, quā assoles  
benevolentia tenue hoc jurati honoribus tuis animi pignus,  
quod licet parvum, tamen magnum observantiæ monu-  
mentum audit, in hoc dum vitam, & sanguinem meum  
devoveo, id unicum appreco, ut perennes incolumis: &  
merear Te aliquando aut purpuratū, aut in terra sale fluente  
Sacratissimum Præsulem intueri, exosculari. Ita vovet

Reverendissimæ, & Celsissimæ Do-  
minationis Tuae

Servorum infimus  
F. Felix à S. Matre Anna Augustini-  
anus Discalceatus.



# PROLOGIUM

in  
TRACTATUM  
de  
VISIONE DEI.

**Q**UÒ faciliùs venenata Hæreticorum perfidia virus suum in mortales diffunderet, ipsum finem, salutisq;ue centrum, ad quod tendimus, Sacrilego ausu infestare contendit: inde ut incautos decipiunt, sibilant, DEUM Immortalem naturæ viribus visideri, imd comprehendendi posse: & in felicissima illa, ter quaterq;ue DEI Patria non ipsissimam Deitatem, sed quemdam ab ea diffusum splendorem Cælicolas beare. Idquè commentati sunt, ut fascinent, & inescient animas, quò minus salutem suam prosequantur, sicquè divini amoris flammarum aut sopiant, aut penitus extinguant. Sed quàm falsa sint hæc Erebi stratagema, & idèo vitanda, palam est. Jam verò lumen fidei has Orci tenebras discutit clarissimè, ipsaq;ue Conciliorum, Sacratissimorūmq;ue Virorum Oracula declamant, ex se naturæ ratio-

rationalis aciem DEI Essentiam non penetrare, sed nec intueri posse: minus DEUM beatorum oculos peritringere, sed eos omnino reali suæ Divinitatis exhibitione felicitare. In cuius veritatis confirmationem rememorari licet, quæ de beatifica DEI visione Fides, universaque Theologorum Turba stabilit. Paulus gentium Apostolus dicit ad Timot. 6. Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. *Isaias* 64. Oculus non vidit absque te, quæ præparasti diligentibus te. *Concilium lateranense sub Innocent. 3. in cap. firmiter*, de summa Trinitate, & Cathol. Fide. Firmiter credimus, quod unus solus sit DEUS, æternus, immensus, incomprehensibilis &c. *Concilium Florent. in litteris sanctæ unionis*: Animas plenè purgatas intueri DEUM clarè trinum, & unum ut est in se. Erubet ergo Sacilega Hæreticorum cohors! confundatur suoquæ Judicio cadat, & veritatis Petræ, Sanctorumque credat effato; quod si verò nolit canere Palinodiam, sciat se à DEI visione, quam lacerat, perpetuò fore exulem.

## Elenchus Hæreticorum, qui asseruere se posse naturaliter videre, aut planè comprehendere

DEUM.

**E**unomius Cappadox Cyzicenus Episcopus sub Valente, Aetiani Antiocheni Calesiriae aurifabri primū: dein de Diaconi Arani Hæresim propagavit, & asseclas suos Eunomianos appellavit. Inter reliquas blasphemias effutivit

tivit, Deum se exactè cognoscere tanquam sensibile quid: præterea ausus est dicere Teste Theodoreto, se nihil ex rebus divinis ignorare, sed ipsam etiam DEI substantiam exactè scire, eandemque habere de Deo cognitionem, quam ipse de se ipso habet Deus.

Audæus Syrus ex Mesopotamia trans Euphratem ortus unà cum aliquibus Monachis in Ægyto dixit: Deum esse similem hominis, & corporis illi partes tribuit: consequenter occultè sensit, Deum, sicut alium mortalem videri; in qua hæresitiam Gothi participarunt.

Messaliani, seu Euchitæ qui etiam Enthusiastæ nominantur, inter reliqua deliria docuerunt, se videre Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum corporeis oculis: & Spiritus Sancti adventum sensu percipere. Hujus sectæ Principes in oriente sub Valentiniano erant Dadœs, Sabas, idolophius.

Anomæi dictabant, intellectum etiam in hac vita posse naturaliter videre Deum: contra quos egit Chrysost. hanc hæresim secutus est Petrus Abelardus, vel secundum Platinnam Baliardus insignis Philosophus in Gallijs anno Domini 1140. dicendo: totum, quod Deus est humana ratione comprehendi posse: & à beatis nequam Drivinam Essentiam, sed claritatem à Deo diffusam videri. De hoc refert Bernard. Epist. 190.

Beguardi, & Beguinæ homines maligni, & Mulieres infideles in Regno Alemaniæ inter reliquos errores, qui

recensentur in Capit. ad nostrum: de hæreticis, ajunt: hominem posse ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in praesenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata. Denuo quod quælibet intellectualis natura in se ipsa sit naturaliter beata: quodque anima non indigeat lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum Deum, & eo beatè fruendum.

## CONCLUSIO I.

In Visione beata repugnat species impressa Creatæ,  
qua representetur Deus Vt in se est

Probatur ratione communi Thomistarum, in  
qua aliae, quam plurimæ insinuantur, quas si diligenter examinaveris, valebunt ad infirmandum adversarios.

**S**pecies impressa quidditativè Deum representans est formalis similitudo Dei in esse representativo, sed repugnat, quod ulla res creata possit esse formalis similitudo Dei in esse representativo, ergo in visione beata repugnat species impressa creatæ, qua representetur Deus ut in se est. Major supponitur: quia tamē à nonnullis in dubium vocatur, probatur. i. Quia species se tenet ex parte objecti, & est illius virtus vicaria, sicut lumen gloriæ est virtus Potentiarum intellectivarum: quemadmodum ergo hoc sapit rationes subjecti, in quo recipitur, sic illa, ejusque perfectio consideratur per ordinem ad objectum, quod repre-

præsentat. 2. Mediante specie impressa cæteris paribus  
ita perfecta elicetur cognitio, ac si ipsum objectum per se  
concurreret, quod tamen dici non posset, nisi species sit  
formaliter ipsum objectum in esse repræsentativo: muta-  
ta enim principij perfectione, diversificatur perfectio ef-  
fectus. 3. Species impressa est repræsentativa non per mo-  
dum signi, sed per modum similitudinis; unde ex ea fit  
cognitio per assimilationem, ad quam requiritur, speci-  
em esse similem suo objecto non solum secundum prædi-  
cata generica, sed etiam secundum rationem specificam  
formaliter, aut eminenter, imprimis quando cognitio est  
quidditativa, prout contingit in visione beatifica. 4. Spe-  
cies impressa id totum est in actu primo, quod expressa in  
actu secundo, sed species expressa est formalis similitudo  
sui objecti in actu secundo, cum sit ipsum verbum, in  
quo formaliter repræsentatur objectum ergo. 5. Distin-  
ctio essentialis specierum desumitur ab objectis repræsen-  
tatis, subintellige in esse intelligibili, sed hæc ab illis desu-  
mi non posset, nisi quia una est formalis similitudo potius  
hujus objecti, quam alterius: manet ergo speciem esse  
formalem similitudinem sui objecti. Minor verò princi-  
palis probatur. 1. Esse repræsentativum est perfectio realis,  
sed nulla creatura potest esse formaliter Deo similis in  
perfectione reali, ergo nec in esse repræsentativo. 2. Nul-  
la creatura potest cum Deo in infinitate convenire, sed talis  
species esset ejusdem infinitatis cum Deo: cum esset e-  
jusdem immaterialitatis cum essentia divina, à qua desu-

mitur ratio repræsentativi. Præterea hæc species non limitaretur ab objecto, cùm hoc quantum est ex se, infinitè se petit repræsentare: nec ab subjecto, in quo recipitur, ab hoc enim solum in esse entis coarctatur, non verò in esse repræsentativo: nam objectum, non verò subjectum repræsentat ergo esset ejusdem infinitatis cum Deo. 3. Similitudo, & imago est triplex, artificialis, intentionalis, & naturalis: nullam ex his species creata cum Deo habere potest, non artificialem, hæc enim solum imitatur exteriorum figuram, species etiam prædicata intrinseca: non intentionalem, hæc enim petit esse ejusdem naturæ cum objecto in modo essendi intentionalis, Deus autem non minus in esse intentionalis est infinitus, actus purus, incomprehensibilis, quām in esse naturali, sicut ergo nulla creatura in hoc genere potest esse formalis similitudo Dei, ita & in altero: tandem neque naturalem, hæc namque petit realiter procedere in similitudinem naturæ producentis, quæ entitativa Dei similitudo creaturæ omnino repugnat. Ergo subsistit, nullam rem creatam posse esse formalem Dei similitudinem.

Obijcies non implicat formalis similitudo Dei, ergo possibilis est species impressa Dei. ant: probatur, formalis similitudo Deum finitō modō repræsentans non repugnat, ergo. ant Probatur, in tantum repugnaret formalis similitudo, seu species impressa Dei, quia deberet esse infinita, ejusdem immaterialitatis cum Deo &c.

Atqui

Atqui si solum finito modo Deum formaliter repræsenta-  
ret, nullum ex enumeratis sequitur, ergo. & N. ant. ad pro-  
bam N. Suppositum antecedentis: supponit enim speciem  
manere formalem Dei similitudinem, etiam si finitō mo-  
dō Essentiam divinam repræsentaret, quod falsum est,  
eo quod tunc perfectè non adæquaret suum objectum in  
esse intelligibili, quod infinitō modō ex se petit repræsen-  
tari. Verum quidem est, nullum sequi ex recensitis in con-  
venientibus, si finitō modō statuatur repræsentatio Es-  
sentiæ divinæ, sed in Hypothesi non manebit formalis si-  
militudo Dei.

Contra Essentia divina in Sententia Thomistarum  
obtinet in visione Beatifica rationem speciei impressæ, &  
tamen se intellectui beati finitō modō repræsentat, cùm  
se finitō modō uniat, ergo species creata maneret forma-  
lis similitudo Dei, et si Essentiam divinam finitō modō re-  
præsentaret. & N. ant. Sed Essentia divina, quantum in  
se est, infinitō modō se repræsentat, quod verò finito mo-  
do se uniat, & ad visionem concurrat, hoc non provenit  
ex defectu suæ repræsentationis, sed intellectus beati non  
valentis infinitam visionem elicere.

Urgebis non est manifestum, quod requiratur in vi-  
sione Dei formalis, & ex omni parte perfectissima Essen-  
tiæ divinæ repræsentatio, sed sufficit aliqua minus perfe-  
cta, & virtualis: hæc non repugnat, ergo. major vide-  
tur certa: aliter enim videt beatus Essentiam divinam, &  
aliter

aliter iterum eam videt ipsemet Deus, consequenter ibi  
alia, & diversa repræsentatio requirenda est. Tum quia  
ex omni parte perfectissima Essentiae divinæ representatio  
requiritur ad comprehensivam, non verò ad intuitivam  
Dei cognitionem, qualis est visio beati. minor etiam con-  
stat: quia per hoc jam omnes repugnantiae tolluntur,  
quod esset infinita, actus purus &c. Ergo. & dist. majorem  
quod requiratur &c. quantum est ex parte visionis conc.  
quantum est ex parte objecti repræsentati N. majo-  
rem. Quia cùm omnis repræsentatio Dei quidditativa  
debeat esse ejusdem immaterialitatis cum Essentia divina  
repræsentata, sequitur benè, eam debere esse ita perfe-  
ctam in repræsentando, & in esse intelligibili, sicut illa est  
in esse naturali: cùm ergo in esse entis sit infinita, opor-  
tet, ut sit etiam species in esse intelligibili infinita. Si di-  
cis, tolli omnes repugnantias, ergo possibilis est species  
virtualiter, & finitō modō Deum repræsentans. & tolli,  
& non tolli, quod ipsum repugnantias loquitur: tolli ut  
supponitur, & non tolli: nam etiam ista species virtuali-  
ter, & finitō modō Essentiam divinam repræsentans de-  
beret esse ejusdem immaterialitatis cum ea, alias perfectè,  
quidditativè, intuitivè per eam repræsentari non posset.  
Præterea quæro ex te, illa species, quam tu appellas vir-  
tualem, est ne repræsentativa Dei prout in se est: vel non?  
Si primum, ergo est ejusdem immaterialitatis cum illo,  
proin formalis. Si secundum, ergo beatus non poterit eli-  
cere visionem quidditativam, & intuitivam, ubi enim  
exu-

exulat objectum, aut species illud quidditativè, & intuitivè repræsentans, quidditativa visio formari non potest: ex objecto quippe, & potentia paritur notitia, ergo qualis objecti repræsentatio, talis cognitio.

Contra idē species Angeli inferioris quidditativè repræsentat Angelum superiorem, quia cum illo convenit saltem in immaterialitate generica, sed species creata potest convenire cum Deo in immaterialitate generica, ergo poterit illum quidditativè repræsentare. Minor probatur, Deus & creatura continentur sub ratione communi immaterialitatis ut sic: prius enim concipitur immateriale ut sic, quam immateriale tale, ergo. *Ex N. minorem*, ad probam dist. minorem Deus continetur sub immaterialitate ut sic tanquam membrum dividens rationem communem N. tanquam principium generale effectivum, aut causa exemplaris omnis immaterialitatis conc. minorem. Deus non potest contineri sub ratione generica immaterialitatis creaturæ, quia sic deberet univocè convenire in immaterialitate cum creatura, quod impossibile est, ut pote ille solus excludit omnem materiam Physicam, & Metaphysicam, id est genus, & differentiam, non verò ulla creatura. Potest tamen dici, quod contineatur tanquam universale immaterialitatis principium, prout in Logica dictum est de prædicamento Substantiæ.

Dices lumen gloriæ, est formalis participatio intellectus sub ratione intellectivi formalissimè, & tamen non est

est ejusdem immaterialitatis cum intellectu divino. Gra-  
tia sanctificans est formalis participatio naturæ divinæ  
quæ infinita est juxta Thomistas, quin ipsa sit infinita. Item  
in Sententia probabili Philosophorum, potest Deus effe-  
ctum formalem immensitatis, videlicet quod res simul,  
& semel existat in pluribus locis, tribuere creaturæ, quin  
ipsa sit imensa; erga pariter poterit Deus præstare, quod  
species creata ipsum repræsentet, quin sit ejusdem imma-  
terialitatis, infinitatis &c. cum illo.

Confirmatur 1. talis species non repræsentaret natu-  
raliter, & necessario Essentiam divinam, sed, quid.  
quid repræsentaret, id ex libera Dei voluntate ad ex-  
tra operante haberet. Ergo poterit Deus illi communica-  
re, quod suam Essentiam finitō modō repræsentet, quin  
sit ejusdem immaterialitatis cum illa.

Confirmatur 2. Creatura potuisse esse ab æterno sine  
præjudicio, & læsione naturæ divinæ æternæ, & infini-  
tæ, ergo etiam potest Essentia divina fieri repræsentabilis  
per speciem creatam sine præjudicio suæ infinitæ intelligi-  
bilitatis, & incomprehensibilitatis.

R. ad 1. Conc. ant. N. consequentiam, disparsitas est,  
quia lumen gloriæ obtinet rationem virtutis subjectivæ,  
non vero objectivæ: & licet hoc sit intellectus divini parti-  
cipatio, non tamen est illius similitudo repræsentativa,  
unde non oportet, ut sit ejusdem immaterialitatis cum eo.  
Ad 2. dico, gratiam sanctificantem esse participationem  
natu-

naturæ divinæ, quatenus infinita est, non tamen secundum rationem suam atomam infinitatis, quæ consistit in hoc, quod natura divina sibi identificat objectum, & speciem, & operationem, quâ in illud tendit: sed solum quatenus habet essentiam divinam pro objecto connaturali. Ad 3. qz. Illius sententiæ Sectatores inquiunt, idem corpus posse existere in pluribus locis per hoc: quod effectus formalis quantitatis, videlicet extensio multiplicantur; quomodo id fieri possit, defendant illi.

Ad 4. conf. conc. ant. & N. consequentiam. Omnis quippe representatio in esse intelligibili fundatur in immaterialitate, sic etsi Deus se liberè videndum præbeat, tamen ex suppositione quod velit per speciem creatam quidditativè representari, debet illa cum essentia representata concordare in immaterialitate entitativa, & quidditativa in esse intelligibili. Ad 2. cnsfir. qz. N. paritatem: ex hoc enim, quod creatura fuisset æterna, Deus per illam non fieret intrinsecè æternus; ast si per aliud representaretur quidditativè, fieret intrinsecè intelligibilis per aliud, quod essentiæ divinæ utpote intelligibili per se repugnat.

## CONCLUSIO II.

In Visione beata ipsa essentia DIVINA gerit VICES species IMPRESSÆ, & EXPRESSÆ. \*

Probatur utraque pars. Visio oritur ex potentia, & objecto, vel specie vices objecti gerente, ergo ut C bea-

beati videant Essentiam Dei, necesse est quod concurrat objectum, aut species, sed species creata non concurrit, ut probatum est, ergo debet concurrere species increata, quæ est ipsamet Essentia divina. Probatur. 2. Visio beatorum est immediata, sed si Essentia divina ad eam per se non concurreret, non esset immediata, quia ut ait D. Thomas in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. ad 15. medium tollit immediactionem, ergo.

Probatnr 3. Ratione fundamentali. Species non est per se ex natuta instituta ad cognitionem, sed solum per accidens, quando objectum non est sufficienter immaterialie, unitum, & proportionatum potentiaz, sed Essentia divina est sufficienter immaterialis, unita, & proportionata potentiaz cognoscitivæ beati, ergo per se ipsam concurrit ad visionem in ratione speciei impressæ, minor probatur. Essentia divina excludit omnem excogitabilem potentialitatem, Physicam ( quæ exclusio est radix intelligibilitatis in actu primo, quod patet in Angelo, qui quia expers est omnis materiaz, ejus substantia est per se intelligibilis ab illo in actu primo ) & Metaphysicam, videlicet genus, & differentiam, à quorum exclusione desumitur intelligibilitas per se talis in actu secundo: & hæc soli Deo competit, qui solus ab omni compositione etiam per rationem immunis est. Præterea Essentia divina est per se unita intellectui beati, non quidem in esse entitativo, & naturali: hæc namque unio aut petit inhesionem, aut dependentiam, sed in esse intelligibili, Est etiam propor-

tio-

tionata, cùm priùs natura infundatur lumen gloriæ, quô redditur intellectus beati potens Essentiam divinam attin-  
gere ad modum objecti connaturalis: Quemadmodùm enim intellectus divinus Essentiam suam pro objecto con-  
naturali habet, ita lumen gloriæ, quod est participatio intellectus divini formalissimè spectati, illam quodam-  
do connaturaliter attingit.

Ex quo manifestè colligis, beatum non producere visione sua speciem expressam: ed quodd perfectius re-  
præsentet objectum, quàm impressa, ergo si hæc non potest ob nuper enumeratas implicantias repræsentare quidditatè divinam Essentiam, minus repræsentabit expressa. Manet inquam, quodd ipsa Essentia divina gerat vices speciei expressæ: cùm sit suum esse, & actus purissimus, semper est in actu secundo se ipso intellecta, quæ summa Dei immaterialitas sicut in Deo facit, quod se ipsum cognoscat sine potentia cognitiva realiter superaddita, ita & quod sit se ipso cognitus ab intellectu, cui ob-  
jectivè unitur absque specie realiter superaddita.

Obijcies primò de ratione speciei est, quod uniatur in esse intelligibile cum potentia, sed Essentia divina non potest taliter uniri, ergo nequit subire vices speciei im-  
pressæ. Minor probatur. Essentia divina non potest uniri intellectui beati in esse entitativo, talis namque unio solum facta est ad humanitatem Christi, ergo nec in esse intelligibili. Consequentia probatur esse en-

titativum, & esse intelligibile in Deo nec virtualiter distingvuntur, natura enim divina constituitur per intelligere purissimum, ergo si non potest uniri in esse naturali, nec poterit uniri in esse intelligibili. & N. ultimam consequiam, quia Essentia divina ex summa, & infinita sua eminentia habet, quod possit de novo uniri in esse intelligibili, absque eo, quod uniatur in esse entitativo: sive deinde hoc duplex esse distinguatur virtualiter, sive non, parum refert.

Replicabis. Essentia divina non potest uniri intellectui in esse entitativo, nisi etiam uniatur in esse intelligibili: ergo è converso non potest uniri in esse intelligibili, quin etiam uniatur in esse entitativo. ant. Videtur manifestum, quia si in esse entitativo intellectui beati uniretur, non illi jungeretur per modum qualitatis mortuæ, sed prout in se summè immaterialis est, quæ immaterialitas cum sit radix & simul ratio proxima intelligibilitatis, si illi uniretur in esse entitativo, uniretur etiam in esse intelligibili. & Conc. ant. dist. Consequens ergo non potest eidem uniri in esse intelligibili infinito modò, & comprehensivè, nisi uniatur in esse entitativo conc. finito modò, solùmque intuitivè N. consequiam. Beato autem Essentia divina tantum finito modò, & secundum perfectionem & intensionem luminis gloriæ unitur, unde non infertur, debere eidem uniri in esse entitativo. Si quærvis, quare deberet Essentia divina intellectui uniri in esse entitativo, si illi in esse intelligibili infinito modò, & com,

comprehensivè uniretur; & quare non, si solum finitò modò, & intuitivè? Ratio est, quia unio Essentiæ divinæ in esse intelligibili infinitò modò, & comprehensivè est unio Dei totalis, & totaliter secundùm omnem modum cognoscibilitatis consequenter etiam in esse natu rali: at verò unio Essentiæ cum intellectu beati finitò modò, & non comprehensivè est quidem unio Dei totalis, sed non totaliter; proinde non infertur, si taliter in esse intelligibili alicui uniatur. debere etiam illi in esse naturali uni ri, cum hoc intelligibile non adæquet totum esse Dei en titativum.

Obijcies 2. de ratione speciei intelligibilis est intellectu objecto efficere similem, illumque unum cum objecto constituere in esse intelligibili, quia cognitio fit per assimilationem: & ex intellectu, & specie fit magis unum, quam ex materia, & forma, sed Essentia divina non potest intellectum creatum similem Deo efficere, illumque in esse intelligibili Deum constituere, ergo. Minor probatur, idè nequit species creata Dei dari, quia nulla creatura potest esse formalis similitudo Dei in esse intelligibili, ergo neque poterit dari potentia intellectiva, quæ sit similis Deo, vel Deus in esse intelligibili. *R. N. minorem*, ad probam dist. ant. Idè &c. quia nequit esse Dei similitudo infinita conc. aliter N. ant. Species enim Dei, si daretur, deberet esse totalis, & infinita similitudo Dei, quia naturaliter faltem ex suppositione Essentiam divinam repræsentaret. At Essentia divina finitò solum, &

non

non infinitō modō, ut dictum est, unitur intellectui beatitudini, sed tantummodo juxta proportionem, & perfectionem luminis gloriæ, consequenter intellectus esset Deus finitum, & limitato modo, quod non repugnat.

Dices: forma naturalis, & necessaria, quando aliqui subiecto unitur, totaliter, & secundum totum suum esse unitur, quia aliâs non foret ratio, cur secundum hunc potius effectum, & non alium uniatur: sed Essentia divina est forma naturalis, & necessaria, ergo totaliter & infinitō modō unitur, consequenter intellectus beati fit infinitō modō Deus. R. Majorem esse veram, quando subiectum est capax omnis effectus talis formæ, non verò si sit incapax, prout in præsenti contingit; Intellectus quippe beati non obstante lumine gloriæ, quo perfusus est, finitus est, adeoque incapax omnis possibilis unionis Essentiae divinæ.

Dices 2. defacto Essentia divina est cuilibet intellectui summè præsens, & proportionata ratione suæ immaterialitatis, & tamen non sequitur, quod illa in cognitione, quam habet intellectus pro hoc statu via gerat vices speciei, impressæ, ergo pariter &c. R. dicit. ant. est summè præsens præsentia generali, & proportionata ratione suæ immaterialitatis proportione absoluta conc. est summè præsens præsentia speciali, & proportionata ratione suæ immaterialitatis ut unitæ in esse intelligibili N. ant. & consequentiam. Ad hoc ut Essentia divina dicatur gerere vices

vices speciei impressæ, non sufficit, quod sit intellectui  
præsens ratione suæ imaterialitatis quomodo cunque, sed  
insuper requiritur, ut uniatur, quæ unio in hoc consi-  
stit, quod terminet exercitè intrinsecè in esse intelligibili  
cognitionem; quemadmodum unio in mysterio Incar-  
nationis exprimitur per nomen terminationis substantia-  
lis.

Nota pro solutione Argumentorum contra 2. partem  
Conclusionis, triplex esse medium in cognitione, medi-  
um *sub quo*: & est illud, quod intellectum disponit ad  
videndum, & tale est lumen solis ad visum, & in nostro  
casu lumen gloriæ. Medium *quo* est, quo videt, & est  
Species intelligibilis, quæ intellectum determinat in par-  
ticulari ad cognoscendum potius hoc objectum, quam  
aliud, ut species lapidis in oculo: medium *in quo* est res  
aliqua, ex qua visa ducitur in alterius cognitionem v.g.  
dum videtur imago, in ipsa videtur imaginarium, & in  
effectu causa. Unde essentia divina potest considerari ut  
*quo*, & ut *quod*, ut *quo* gerit rationem speciei, ut *quod*  
est ipsum objectum representatum. Præterea.

Sciendum i. omnem actionem transiuntem debere  
producere terminum: sed non immanentem, ratio hujus  
est, quia actiones immanentes non sunt propriæ actio-  
nes, nec de prædicamento actionis, sed qualitatis, cùm  
primarij ordinantur ad perficiendum suum principi-  
um, utpote propria ipsius perfectio, non verò ad per-  
ficiendum terminum, ad quem per se non moventur, sicut  
actio-

actiones transeuntes, quarum tota perfectio consistit in termino producto. Nec valet dicere : actiones transeuntes petunt producere terminum ad extra, ergo immarentes illum producunt ad intra. *R. N.* consequentiam. Nam actiones immanentes per se, & ex se sunt qualitas perfectiva potentiae, & ita motus, & terminus simul; jam verò actiones transeuntes non sunt simpliciter qualitas perfectiva potentiae, ac consequenter sunt motus ad terminum, quem petunt producere.

Sciendum 2. Quando SS. PP. dicunt, quod beati vivendo Essentiam divinam producant in se aliquam similitudinem, intelligendos esse, illam producere ex parte modi cognoscendi, non verò ex parte rei cognitae. Dum dicunt cognitionem beatorum esse verbum Dei, intelligendi sunt, esse verbum Dei principiativè, seu originativè, quia procedit ex specie impressa, quæ est Essentia divina: aut terminativè, quia ordinatur ad eandem prout gerit vices speciei expressæ; non verò formaliter.

Sciendum 3. in specie expressa esse duplēm conceptum distinguendum repræsentationis, & expressionis; primus est essentialis omni speciei expressæ, nequaquam verò secundus: proinde primus reperitur in essentia divina gerente vices speciei expressæ: non verò secundus: cùm sit incapax, ut realiter exprimatui à potentia intellectiva beati. Alia vide in alijs.

CON-

# CONCLUSIO III.

In Visione beata Lumen gloriae est tota, atque  
Vniuersaliter virtus agendi. \*

**P**robatur. Potentia non potest aliquid producere in effectu, nisi ad producendum illud habeat posse simpliciter: sed sic est, quod intellectus beati ex se, & independenter a lumine gloriae nullum habeat posse simpliciter, ad aliquid producendum in visione beatifica, ergo ille nihil producit, consequenter lumen gloriae est tota virtus agendi. Minor probatur, totum posse intellectus beati secundum se spectati, & independenter a lumine gloriae est naturale, & ordinis inferioris, quidquid verum in visione est, est supernaturale, & ordinis superioris, atqui naturale, & ordinis inferioris quam tale nihil potest producere in effectu supernaturali, & ordinis superioris, ergo minor & vera, quod intellectus beati ex se, & independenter a lumine gloriae nullum habeat posse simpliciter ad producendum aliquid in visione beatifica.

Confirmatur i. Illud est virtus proxima, & tota agendi, quoniam positio potentia producit effectum, & quoniam sublatio non producit effectum, sed intellectus positio lumine gloriae producit visionem beatificam, & quo sublatio non producit effectum, sed intellectus? positio lumine gloriae producit visionem beatificam, eo que sublatio non producit visionem beatificam, ergo lumen gloriae est tota virtus agendi.

D

Con-

**Confirmatur. 2.** Quidquid in visione beata est, vel  
est vitalitas, vel est supernaturalitas: neutrum intellectus  
beati independenter à lumine gloriæ producere potest,  
cum in vitalitate essentialiter imbibatur supernaturalitas,  
& vicissim, ergo utrumque producit lumen gloriæ.

Ex hoc tamen non sequitur, quod in visione beatifica  
beatus se habeat merè passivè, & per modum subjecti  
sustentantis visionem, sicut se fors habet aqua ad calorem,  
& calefactionem: non inquam, quia intellectus saltem  
radicaliter concurrit ad suam visionem, quem radicalem  
influxum non exercetaqua in calefactione, cum talis actio  
repugnet formæ aquæ, non verò visio supernaturalis for-  
mæ intellectuali, qualis est intellectus creatus: sed ad  
summum est inproportionata, quæ inproportio tollitur  
per lumen gloriæ.

Obijcies intellectus beati producit in visione vitalita-  
tem, ergo lumen gloriæ non est tota virtus agendi in vi-  
sione beatifica. ant. probatur. Vitalitas debet produci à  
principio se intrinsecè movente, sed solùm intellectus eit  
principium intrinsecè se movens, non verò lumen glo-  
riæ, ergo ille, & non lumen gloriæ producit in visione vi-  
talitatem. R. dist. majorem vitalitas debet produci à prin-  
cipio se intrinsecè movente vel radicaliter, aut proximè  
conc. semper proximè N. majorem. dist. pariter mino-  
rem sed solùm &c. non verò lumen gloriæ, est tamen vir-  
tus vitalis, quâ intellectus movetur conc. non est talis

vir-

virtus N. minorem; quod sufficit ut proximè ab illo proveniat visio.

Contra lumen gloriæ non est vitale: ergo ab illo non potest provenire vitalitas visionis. ant. probatur lumen gloriæ in tantum esset vitale, in quantum esset participatio vitæ in Deo existentis, sed nequit esse participatio vitæ in Deo existentis, ergo. Minorem probo quia vita Dei consistit in indivisibili, & qualiscunque sit participatio vitæ, semper est talis secundum conceptum adæquatum vitæ, qui consistit in hoc, quod sit motus ab intrinseco: ergo si lumen gloriæ participaret vitam in Deo existentem, illam secundum totum suum conceptum adæquatum participaret, quod dici nequit, aliâs lumen gloriæ esset infinitum, actus purissimus, quia viveret vitâ infinitâ, & purissimâ. ergo. ex participaret conceptum adæquatum vitæ participatione accidentalí: non verò substantiali, ex inde tamen minimè sequitur, quod lumen gloriæ sit vitale vitalitate infinitâ, & purissimâ. Et in ista natura divina, eusq; conceptus consistit in indivisibili, & est actus purissimus, & tamen participatur à gratia, quin sit infinita, & actus purissimus.

Dices ex suprà dictis sequitur, quod intellectus beatitudini nec radicaliter concurrat ad vitalitatem visionis. Probatur illatum. Idem non concurrit proximè ad vitalitatem, quia quidquid proximè potest, hoc potest mediante lumine gloriæ, sed etiam quidquid remotè potest, illud potest

test mediante lumine gloriæ: nam virtus etiam remota intellectus est naturalis, quæ ex se insufficiens est ad vitalitatem supernaturalem. ergo, q. minorem esse veram de potentia exercitè tali, non verò signatè sumptâ, quod enim intellectus beati possit radicaliter concurrere ad visionem beatificam non habet omnimodè à lumine gloriæ, quia antecedenter ad illud jam visio beatifica continetur intra objectum extensivum, & in proportionatum intellectus; habet tamen à lumine gloriæ, quod exercitè se possit hic, & nunc movere ad actum supernaturalem, unde concurrit radicaliter secundum suam nativam virtutem ut elevatam.

Urgebis intellectus in receptione luminis gloriæ nullum habet influxum etiam radicalem sed se merè passivè habet ad receptionem illius, ergo etiam intellectus beati nullum influxum radicalem exercet in visionem, quæ sequitur ex lumine gloriæ. Consequentia probatur. Quod est causa causæ, est etiam causa causati, ergo quod non est causa causæ, etiam non est causa causati: sed intellectus beati nullum habet influxum radicalem in lumen gloriæ, seu non est radicalis causa luminis gloriæ, quod est causa visionis, ergo nec est radicalis causa visionis beatificæ, consequenter se ad eam merè passivè habet, sicut aqua ad calorem, quod sine lesione fidei audenter dici non potest: proinde vel lumen gloriæ non est adæquata virtus in visione, vel intellectus se merè passivè habet. dist. consequens, quod non est causa causæ, si per

per hanc causam prior causa non recipiat aliquam virtutem producendi ejus effectum, etiam non est causa causi conc. Si recipiat N. consequentiam unā cum cæteris, quæ subseqvuntur. Intellectus enim recipit virtutem per lumen gloriæ, unde quamvis nullum influxum in illud exerceat, potest tamen ut eō elevatus radicaliter concurre ad visionem, cujus unica virtus proxima est lumen gloriæ.

Obijcies ultimè si lumen gloriæ est tota virtus agendi in visione beatifica, sequitur, quod si illud poneretur in voluntate, aut alia potentia vitali, voluntas, aut alia potentia vitalis posset videre Deum, hoc non est admittendum, ergo nec illud ex quo sequitur. Sequela probatur, posita virtute adæquata producitur effectus, ergo si lumen gloriæ est tota virtus agendi, posita in voluntate faceret, quod illa videret Deum. Ex. Hoc esset firmum, si voluntas, aut alia potentia vitalis concluderent visionem intra suum objectum adæquatum, & extensivum: & essent ex se capaces recipiendi lumen gloriæ sub sua ratione formalissima; cum ergo lumen gloriæ, sicut quilibet aliis habitus supernaturalis sibi proportionatas exigat potentias, sequitur quod si in talibus non ponatur, nunquam poterit producere effectum.

Dices intellectus secundum suam nativam virtutem non influit radicaliter in visionem, ergo sive elevetur nativa virtus intellectus, sive voluntatis, aut alterius potentiae

tentiæ vitalis, quælibet poterit mediante lumine gloriæ videre Deum. *¶* Licet intellectus non concurrat ad visionem secundum suam nativam virtutem in viribus natura libus relictam, sed ut elevatam: quia tamen virtus nativa intellectus est quodammodo ex sua natura proportionata ad recipiendum lumen gloriæ sub sua ratione atoma, & formalissima intellectivi, inde bene potest mediante illo videre Deum. E contra virtus nativa voluntatis, aliarumque potentiarum vitalium non est ex sua natura proportionata ad recipiendum lumen gloriæ sub ratione intellectivi, quapropter nunquam possunt per illud elevari ad videndum Deum.

Instabis alium effectum deberet sortiri lumen gloriæ, quando reciperetur in potentia non vitali; v.g. lapide, & iterum alium dum reciperetur in potentia vitali, sed in potentia non vitali receptum per illud potentia non vide ret, ergo receptum in potentia vitali, per illud talis potentia videret; & ita si lumen gloriæ ponitur in voluntate, illa videret Deum. *¶* Lumen gloriæ quando ponitur in potentia vitali ex natura sua non ordinata ad receptionem illius, eundem effectum sortiri, ac si poneretur in potentia non vitali. Ratio superius tacta est. Et quamvis ibi sit vitalitas potentiae, quia tamen non est de linea intellectivi, pure materialiter se habet respectu luminis gloriæ, & idem est, ac si potentia non esset vitalis.

CON-

# CONCLUSIO IV.

si LVMen gLorlæ est æqVaLe, esto non ConCVrrat  
æqVaLls perfeCtlo IntelLLeCtVs,  
pár VIslo est. \*

*Hæc Conclusio deducitur ex antecedenti, & supponit de per-  
fectione intensiva, non verò extensiva visionis: hæc ha-  
betur per plures species objectorum, illa verò per majo-  
rem vim potentiae, aut virtutis.*

**P**robatur Intensio, & perfectio effectus debet desumi  
à suo principio proximo, sed in Hypothesi idem est  
principium proximum, videlicet lumen gloriæ, ergo  
etiam idem effectus, seu visio. Major videtur esse vera,  
& ultrò probatur. Principium proximum dat speciem,  
& denominationem intrinsecam actui à se procedenti:  
dicitur enim intellectio ab intellectu, volitio à voluntate.  
ergo etiam ab illo debet desumi intensio, & perfectio  
actus. Consequentia probatur, omnis quippe perfectio  
intensiva actus vel est ipsa ratio specifica, per quam di-  
stinguitur ab alijs, vel saltem fundatur in illa. ergo. &c.

Probatur 2. Potentia naturalis non operatur in ordine  
supernaturali nisi juxta intensionem formæ elevantis, er-  
go ubi eadem est intensio, & perfectio formæ elevantis  
eadem erit operatio; cùm ergo in utraque sit idem lu-  
men gloriæ, licet sit diversa perfectio naturalis potentiae  
intellectivæ, æqualis visio elicetur. ant. probatur sola for-  
ma

ma elevans dat potentia naturali posse simpliciter in ordine ad actum supernaturalem, ergo non potest operari nisi juxta perfectionem talis formae, aliás ultra elevationem operaretur, quod dici nequit, quia quidquid est in potentia naturali ut non elevatum, totum in proportionatum & incapax est, utpote quid naturale, ad productio nem effectus supernaturalis.

Confirmatur natura ad supernaturalia nihil potest, sed visio beatifica est entitativè supernaturalis, ergo major perfectio naturalis potentiae intellectivæ ad eam nihil potest.

Obijcies quandocunque duæ causæ partiales concur runt ad productionem alicujus effectus, tunc crescente earum perfectione crescit perfectio effectus, sed intellectus & lumen gloriæ sunt duæ causæ partiales visionis beatificæ, ergo quoties unum ex illis crescit in perfectio ne, toties crescit & visio. minor probatur intellectus non concurrit effectivè ut causa adæquata, & totalis, ergo ut partialis. Præterea causa partialis est, quæ indiget consortiō alterius, sed intellectus indiget lumine gloriæ, & vicissim, ergo. R. N. minorem, ad probam N. consequentiam, sed concurrit ut principium inadæquatum constituens cum lumine gloriæ unum principium adæquatum visionis: quod non est idem, ac concurrere per modum causæ partialis; quia illa, quæ operantur ut causæ partiales, ita operantur, quod unumquodque præstet suum concursum independenter ab alio, licet requiratur

con-

concursus utriusque ad effectum producendum, sic non faciunt unum principium per se, sed per aggregationem. Illa vero quæ concurrunt ut principia inadæquata, unum quodque dependet ab alio in operatione, immo unum sub inde suum conprincipium perficit intrinsecè, ut videre est in lumine gloriæ respectu intellectus, & ita ex ambo bus fit unum per se; cum ergo intellectus in ratione principij intrinsecè perficiatur à lumine gloriæ, & causa partialis non tribuat talem perfectionem, bene sequitur intellectum, & lumen gloriæ non concurrere per modum causarum partialium, sed per modum unius principij adæquati per se. Unde quainvis intellectus indigeat consor tiō luminis gloriæ, quia tamen ab illo intrinsecè perficitur, ob id non potest dici causa partialis, nisi in proprie.

Contra voluntas influit in actum charitatis tanquam causa partialis, ergo etiam intellectus in actum visionis beatificæ. ant. probatur, in actu charitatis reperitur libertas, atqui in hanc influit voluntas, ergo. minor probatur. Charitas in hanc non influit, cum non sit libera, ergo. Probatur ant. Charitas non est indifferens, aliâs quis stante habitu charitatis posset non amare: ergo. R. dist. ant. Charitas non est libera libertate potentiae conc. libertate virtutis N. ant. Quando dicitur, Charitas non est indifferens. R. positivè conc. permissivè N. ant. quia stante habitu charitatis licet sit voluntas determinata ad amo rem, permittit tamen, quod voluntas possit non amare saltem in sensu diviso: Quapropter tota intensio

E

amo.

amoris provenit ab habitu charitatis: nec quidquam  
conducit naturalis perfectio potentiae secundum se  
spectata ad actum supernaturalem, sed pure materialiter  
se ad illum habet.

Instabis paritate difficulti: præmissa naturalis elevata  
per præmissam supernaturalem infert conclusionem su-  
pernaturalem non solum quæ elevata, sed etiam quate-  
nus naturalis, ergo pariter intellectus concurrit ad visio-  
nem non solum secundum vim elevationis, sed etiam se-  
cundum suam nativam perfectionem. ant. probatur:  
præmissa elevata infert Conclusionem ut naturaliter certa  
est, ergo. ant. probatur, Præmissa naturalis per elevatio-  
nem non recipit certitudinem à præmissa supernaturali:  
quia certitudo præmissæ supernaturalis est v. g. Certitudo  
fidei; per hoc autem quodd præmissa naturalis elevetur per  
præmissam de fide, non fit de fide, ergo nec potest ipsius  
certitudinem habere. ¶ Ad ultimum. Præmissam eleva-  
tam per præmissam de fide, fieri de fide reductivè, qua-  
tenus ejus virtus elevativa scilicet præmissa supernaturalis  
directè pertinet ad fidem: non verò formaliter, & dire-  
ctè, sic enim deberet procedere ex divina revelatione,  
quodd tamen non fit: inde ejus certitudo est reductivè,  
non verò formaliter certitudo fidei.

Dices: ergo si quis negaret talem præmissam eleva-  
tam per præmissam de fide, esset hæreticus, quia negaret  
aliquid, quodd reductivè pertinet ad fidem. ¶ talem non  
fere hæreticum, nam illa non est de fide reductivè in hoc  
ten-

sensu, quasi virtualiter implicitè contineretur in aliquo articulo fidei: aut. indirectè procederet ex revelatione divina, aut declaracione fidei ( quod tamen unum ex istis requiritur, ut negans dicitur Hæreticus ) sed pure quatenus elevata est per aliquid, quod de fide est.

## CONCLUSIO V.

Ens à se non VaLet sVppLere LVMen gLorIæ: & Ita non potest sine Ista VIrtVte VIDerl. \*

**P**robatur. Deus nequit supplere genus causæ formalis, sed lumen gloriæ concurrit in genere causæ formalis ad visionem, ergo. Major est communis: minor probatur causa formalis causat per communicationem suæ propriæ entitatis, sed taliter causat lumen gloriæ visionem, ergo. minor probatur. In entitate luminis gloriæ reperitur ratio intellectivi, vitalitas, & supernaturalitas, sed hæc omnia lumen gloriæ tribuit visioni, nam hæc à potentia naturali habere non potest, utpote cùm sit ejus vitalitas naturalis, ergo. 2. Causa formalis intrinseca se habet aut per modum partis, aut formæ informantis, aut saltem virtutis inhærentis, sed lumen gloriæ se habet per modum conprincipij, & virtutis inhærentis intellectui beati, ergo.

Probatur 2. Intellectus creatus ex se, & sine lumine gloriæ est omnino impotens ad videndum Deum, ergo ut intellectus creatus posset videre Deum, deberet hæc im-

potentia suppleri per aliud , sed non potest suppleri , ergo . minor probatur . vel illud , per quod suppleretur impoten- tia intellectus creati , esset quid intrinsecè , receptum in potentia , vel non ? si intrinsecè receptum , ergo cum hoc se haberet per modum virtutis intrinsecæ esset lumen glo- riæ : nihil enim aliud per lumen gloriæ intelligitur , quam virtus intrinsecè elevans potentiam naturalem ad viden- dum Deum ; si secundum , ergo maneret impotens , quia si potentia intrinsecè non mutetur , manebit in sua impo- tentia , nam implicat , quod aliquid intrinsecè mutetur per aliquid extrinsecum sine diffusione alicujus intrinse- ci in illud . Cum ergo intellectus , si spectetur secundum suam naturalem activitatem sit omnino impotens ad su- pernaturale , qualiter est visio Dei : Supernaturale namque nec formaliter , nec eminenter praæcontinetur in poten- tia naturali , utpote excedens vires naturæ , quæ tamen praæcontinentia necessaria foret ad hoc , ut naturale in se immutatum produceret supernaturale .

Confirmantur supradicta : Deus non potest videri nisi velab intellectu divino per essentiam , aut per partici- pationem , sed nulla potentia fieri potest intellectus divi- nus per participationem sine receptione luminis gloriæ , ergo . Major est certa , quia solus intellectus divinus na- turaliter se ipsum videt : Intellectus autem creatus ex li- bera Dei voluntate communicante illi vires ad se viden- dum , quod est videre per participationem . Minor pro- batur

batur: Intellectus creatus non potest deificari nisi per aliquid quam formam, quae sit participatio intellectus divini, per aliam enim non posset videre, sola namque visio procedit ab intellectu; sed haec forma deberet necessaria in trinsecè recipi in intellectu. 1. Quia esset virtus intellectus secundum suam ultimam differentiam. 2. Accidens. 3. Forma perficiens potentiam naturalem, illamque quodammodo intrinsecè transferens ad ordinem supernaturalem. ergo. Ex quo habes nullam virtutem ab extrinseco intellectui advenientem posse illum reddere potentem videre Deum, quia impotentia intrinseca non potest tolli, quam per aliquod intrinsecum. 2. Solam Dei assistentiam extrinsecam, aut imperium divinum non sufficere, quod intellectus posset videre Deum, quia haec nihil ponunt intrinsecum in intellectu: vel si ponunt, tunc illud erit lumen gloriae, & sic habetur intentum. 3. Falsum est: in creatura dari potentiam obedientialeм immediatè activam, quā posset quodlibet fieri, dummodo Dei voluntas accedit: quia talis potentia deberet esse infinita: nam in se contineret omnem effectum possibileм vel formaliter, vel eminenter, quem sine intrinseca virtute superaddita producere posset. Sed scias, solum dari potentiam obedientialeм passivam, ad sumum mediatè activam quae consistit in hoc, quod creatura possit producere per receptionem alicujus virtutis supernaturalis, quocunque Deus voluerit, dummodo ex parte sui non involvat repugnantiam.

Con.

Confirmatur. 2. Visio corporalis non potest haberi, nisi medium illuminetur, quod manifestet colorem: nec articulus fidei, nisi illustretur lumine fidei: nec Conclusio, nisi manifestetur lumine primorum principiorum, ergo pariter nequit beatus videre Deum, nisi prius profundatur lumine gloriæ.

Obijcies . Quia Deus est summè, & per se intelligibilis, beatus non indiget aliqua specie creata illum quidditativè repræsentante, sed etiam Deus est per se summè luminosus, & lucidus, ergo absolutè non habet opus aliquo lumine, ut videatur. R. consequentia teneret, si intellectus esset ex se in actu primo potens ad videndum, cum autem absque lumine gloriæ sit omnino impotens, nequit illum sine hoc videre. Per hoc autem nihil derogatur lumini divino quia iste defectus non se tenet ex parte Dei, qui per se visibilis est, sed ex parte potentiae. 2. Hoc argumentum nimium probat: probat enim defacto beatum non indigere lumine gloriæ ad videndum Deum; nam occasione hujus argumenti, posset nonnullus dicere: quia Deus est per se intelligibilis defacto non indiget aliqua specie creata se quidditativè repræsentante, sed etiam Deus est per se summè luminosus, ergo defacto non indiget aliquo lumine, quo videatur, quam falsa sit consequentia, & fidei repugnans, non nemo videt.

Contra Deus ex se potest habere rationem speciei impressæ, ergo etiam per se potest subire rationem luminis gloriæ. R. N. consequentiam lumen enim gloriæ obtinet ratio-

rationem causæ formalis physicæ, & intrinsecæ quam superlere non potest, at verò species impressa solū est causa formalis intentionalis, & in esse intelligibili, imo & extrinseca, quæ ex natura sua non dicit imperfectionem: non enim petit informare, inhærere, limitare subjectum, à quibus omnis causa formalis imperfectio provenit.

Obijcies 2. Beatus potest per solam voluntatem, & imperium divinum videre Deum, ergo absolute non est necessarium lumen gloriæ. ant. probatur Imperium divinum est efficacius, & majoris virtutis lumine gloriæ, ergo. ant. patet: nam imperium divinum entitativè est ipse Deus: e contra lumen gloriæ non est Deus, sed creatura Dei, ergo p. concedo: Imperium divinum esse efficacius lumine gloriæ, ex hoc tamen non infertur, quod per illud solum possit beatus videre Deum, quia stante illo Potentia naturalis intellectus maneret intrinsecè immutata, cùm imperium sit extrinsecum: tum quia efficacia luminis gloriæ est de genere causa formalis intrinsecæ, quam efficacia imperij divini minime supplere potest.

Contra ad visionem beatificam absolute eliciendam nihil aliud requiritur, quām potentia vitalis, & virtus supernaturalis, sed imperium divinum est supernaturale, ergo posset cum potentia intellectiva, & vitali, elicere visionem beatificam. p. dist. ant. quām potentia vitalis, & virtus supernaturalis intrinsecè immutans, & perficiens potentiam conc. quām potentia vitalis, & virtus super-

naturalis extrinsecè solum perficiens potentiam N. ant.  
& sic distincta minore N. consequentiam: advertendum,  
quod ad hoc, ut visio beatifica eliciatur, non sufficiat qua-  
liscunque potentiae vitalitas, & virtutis supernaturalitas,  
sed debet talis virtus supernaturalis intrinsecè recipi in po-  
tentia vitali, illamque immutare, quo admodum suum  
operandi naturalem.

Instabis: Imperium potest potentiam intellectivam  
intrinsecè immutare, absque eo quod in illa aliqua virtus  
intrinsecè recipiatur, ergo nihil dictum. probatur antece-  
dens: per solum imperium divinum, quod explicatur  
per particulam *fiat*, Nihilum fuit mutatum intrinsecè  
per formas cœlorum, prout contigit in creatione, ergo.  
ant. supponitur, quia in nihilo nulla virtus potuit  
recipi: quod autem intrinsecè fuerit immutatio facta in pro-  
ductione cœlorum ex nihilo, constat, quia fuit transitus  
de non esse ad esse, qui fieri non potest sine immutatione  
intrinseca. R<sup>e</sup>. dist. ant. per solum imperium divinum  
nihilum fuit formaliter mutatum intrinsecè N. fuit præsup-  
positivè & materialiter mutatum intrinsecè. conc. ant.  
Ratio formalis, ratione cuius nihilum fuit intrinsecè im-  
mutatum fuerunt ipsæ formæ cœlorum ex nihilo educatae:  
per imperium tantum præsuppositivè, quatenus formæ  
cœlorum non fuissent, nisi divinum imperium accessi-  
flet. Quando dicitur in nihilo nulla virtus potuit recipi,  
concedo, quod in hoc sensu non fuerit immutatio facta in ni-  
hilo, fuit tamen immutatum in hoc sensu, prout desijt  
esse

esse nihilum, & incepit esse forma cœlorum.

Urgebis homini votō castitatis obstricto relaxatur obligatio per meram dispensationem extrinsecam: ergo etiam per imperium Dei extrinsecum intellectus potest reddi potens videre Deum. Consequentia probatur, aliter se habet homo votō castitatis obstrictus, & iterum aliter se habet homo à tali voto liber, & tamen homo obstrictus fit liber intrinsecè per solam dispensationem sine aliqua virtute intrinsecè in se recepta, ergo etiam poterit reddi potens videre Deum per solum imperium divinum abīque aliqua virtute superaddita.

Confirmatur licet imperium Dei sit formaliter extrinsecum intellectui beati, est tamen illi virtualiter intrinsecum, ratione suæ omnipotentiae præsentis omnibus rebus creatis.

R. N. consequentiam, disparsitas est: nam votum duo dicit, promissionem, & Dei acceptationem, quæ promissio non aliter est acceptata, quam usque ad tempus, quo ab ipso, velejus vicario non fieret relaxatio, quam posita immediatè se sola cessat obligatio voti: at verò esse intrinsecè impotentem ex se convenit intellectui creato, inde oportet ut ejus potentia ad visionem beatificam per aliquid intrinsecum tollatur. Dum subjungitur, quod homo votō castitatis obstrictus aliter se habeat intrinsecè, quam homo ab illo liber, id verum est de alietate intrinseca morali, non verò physica, quare prima sine positione alicujus virtutis intrinsecæ tolli potest.

F

Dices

Dices Alietas intrinseca moralis potest tolli sine positione alicujus virtutis intrinsecæ, ergo etiam potest tolli alietas Physica intellectus naturalis, & impotentis elicere visionem sine impressione alicujus virtutis intrinsecæ. R. N. consequentiam, quia alietas intrinseca moralis potest provenire ab aliquo extrinseco, consequenter potest etiam tolli per aliquod extrinsecum: sed alietas physica formaliter oritur ab aliquo intrinseco, & sic debet tolli per novam positionem alicujus intrinseci.

Ad confirmationem dico: Imperium Dei extrinsecum esse intellectui virtualiter intrinsecum virtute aliqua generali communi omnibus rebus creatis; non vero virtute speciali seu in ratione virtutis intrinsecè elevantis potentiam ad clare videndum Deum,

## CONCLUSIO VI.

Certò non potest Creari a LiqVa sVbstantia, CVI Connat Vra Lliter Con Venlat LV Men g Lorlæ, \*

**P**robatur: Nulli creaturæ competere potest proprietas Dei, ut creatoris, & authoris naturæ, sed si dabilis eslet substantia supernaturalis creata, creaturæ competet proprietas Dei ut creatoris, & authoris naturæ, ergo major est certa: aliâs creaturæ deberet competere natura divina, nihil enim ita connexum est, quam proprietas, & essentia; quamobrem ad diversas essentias diversæ sequuntur.

qvuntur proprietates. Minor quoque probatur: Proprietas Dei ut creatoris, & authoris naturæ, est, quod ille solus sit super omnem naturam creatam, & creabilem, sed si dabilis esset substantia supernaturalis creata, talis esset super omnem naturam creatam, & creabilem: ob id licet Angelus superior excedat inferiorem, homo leonem, non possunt dici supernaturales, quia solum determinatam naturam excedunt; unde ut substantia dicatur supernaturalis debet excedere omnem naturam creatam, & creabilem. ergo.

Confirmatur: Implicat dari formam, quæ non pertineat vel ad ordinem materialem, aut immaterialem, sed si daretur substantia supernaturalis ad nullum ex his pertineret, ergo. minor probatur, non pertineret ad ordinem materialem, quia hic est naturalis, supra quem est substantia supernaturalis: nec pertineret ad ordinem spiritualem, quia etiam hic essentialiter est naturalis, intellige quo ad substantias rerum, quod colligi potest ex moderna providentia Dei: aut divinus, ad divinum non pertingeret, quia talis substantia adhuc infra Deum esset, ergo.

Probatur 2. Substantia connaturaliter videns Deum intuitivè, debet esse ejusdem immaterialitatis cum illo: nam potentia cognoscitiva necessario est ejusdem immaterialitatis cum suo objecto connaturali, & proportionato: sed implicat substantia creata, quæ sit ejusdem immaterialitatis cum Deo. ergo. Major patet, quia anima pro hoc statu dependet à materia, non potest res omnino spi-

rituales v. g. Angelum connaturaliter cognoscere; simili-  
liter Intellectus Angelicus, cùm non sit suum esse non ita  
abstrahit à materia; ut non includat materiam Meta-  
physicam, non potest connaturaliter cognoscere obje-  
ctum carens omni mareria, etiam Metaphysica, ut est  
Deus, ergo. Minor etiam patet, quia aliás creatura esset  
actus purus excludens omnem potentialitatem.

Obijcies. Ideò non est dabilis substantia supernatura-  
lis, quia deberet excedere omnem naturam creatam, &  
creabilem, sed hoc non fieret, ergo. Minor probatur,  
dantur accidentia supernaturalia, & tamen ex hoc non  
excedunt omnem naturam creatam, & creabilem, ergo  
si daretur substantia supernaturalis non excederet omnem  
naturam creatam, & creabilem. R. N. consequentiam,  
disparitas est: substantia enim supernaturalis si daretur  
eslet talis per se, cùm sit intra propriam lineam indepen-  
dens ab omni alio, licet dicat ordinem intrinsecum ad De-  
um creatorem: insuper eslet participatio Dei secundūm  
suam ultimam rationem atomam, consequenter eslet  
actus purus, excederetque omnem naturam creatam, &  
creabilem. Quæ non deprehenduntur in accidente su-  
pernaturali, quod sicut non est ens per se, sed entis ens  
sic non est supernaturale per se, sed per ordinem ad subje-  
ctum, quod elevat: neque est participatio Dei secundūm  
suam ultimam rationem atomam substantiæ increatæ,  
hinc non excedit omnem naturam creatam, & creabilem.

Dices

Dices: Admissâ hac sententiâ, quod non sit possibili-  
lis substantia supernaturalis, sequitur quod accidens su-  
pernaturale excedat omnem naturam creatam, & creabi-  
lem, sed hoc nequaquam admitti debet, ergo nec illud,  
ex quo sequitur. Probatur Sequela, minimum accidens  
supernaturale excedit omnia accidentia naturalia, imo, &  
substantias naturales, ergo Sequela subsistit. R. conc. ul-  
timo ant. N. consequentiam: quia accidens superna-  
turale est tantum participatio accidentalis Dei in ordine  
supernaturali: sic dato quocunque accidente, semper in  
infinitum perfectius possibile est, quia Deus in infinitum  
participabilis est participatione accidentalis: & ita negata  
substantia supernaturali creatâ non benè deducitur, ac-  
cidens supernaturale debere excedere omnem naturam  
creatam, & creabilem.

Instabis: hoc etiam dici potest de substantia superna-  
turali, quia data aliqua substantia supernaturali semper  
alia perfectior dari posset. R. N. causalem, nam partici-  
pationis substantialis consistit in indivisibili, utpote cum  
quælibet esset participatio Dei secundum suam ultimam  
rationem differentialem, quæ in hoc consistit: quod sit  
suum esse per se: Consequenter perfectior dari non pos-  
set, cum nulla magis esset suum esse per se.

Obijcies 2. Divina attributa participantur à creaturis  
v.g. Divinus amor à charitate, ergo etiam poterit partici-  
pari substantia supernaturalis, ergo si datur amor super-  
per-

pernaturalis creatus, etiam dari poterit substantia creata  
supernaturalis: & dist. consequens participari poterit à  
creatura ratio divinæ substantiæ participatione accidenta-  
li conc. substantiali N. consequentiam.

Contra in ordine naturali participatur natura divina  
non solum participatione accidentalı, sed etiam substanciali ergo etiam in ordine supernaturali ita participabitur,  
& N. consequentiam in ordine enim naturali participatur  
natura divina participatione substantiali, sed limitatè, &  
præcisè quatenus est aliquid per se existens, & principi-  
um dimanativum proprietatum, in quo nulla repugnan-  
tia apparet: ast si in ordine supernaturali natura divina par-  
ticiparetur participatione substantiali, non participaretur  
limitatè, aut præcisè ut aliquid per se existens, sed ut est  
suum esse purissimum, quia participaretur ut est ens su-  
pernaturale, quod admitti non potest.

## CONCLUSIO VII.

AbsIt, qVdD foLa essentla DIVIna possIt VIDerI sIne  
attrlbVtIs, aC personaLlitatlbVs. \*

**P**robatur. Illa non possunt seorsim unum sine alio in-  
tuitivè videri, quæ realiter, & essentialiter intrinse-  
cè sunt connexa. Sed attributa, personalitates sunt reali-  
ter, & essentialiter intrinsecè cum essentia connexa, ergo  
divina essentia non potest videri sine attributis, & perso-  
na-

nalitatibus. Major patet in modis entis, qui quia realiter,  
& essentialiter sunt connexi cum ratione entis ut sic; imo  
ratio communis entis in quolibet inferiori intrinsecè imbi-  
bitur; non possunt perfectè cognosci, nisi indirectè ratio  
entis ut sic quidditativè cognoscatur. Quod robatur  
ulterius: hoc ipso, quod omnipotentia sit essentialiter  
connexa cum creaturis possibilibus, non potest compre-  
hendi, nisi comprehendantur & illæ, & vicissim non pos-  
sunt omnes creaturæ possibles intuitivè videri, nisi tota,  
& totaliter videatur omnipotentia. Item quæ realiter, &  
essentialiter sunt unum, magis sunt inter se unum, quam  
relativa ad invicem: quia hæc solum sunt inter se extrinsecè,  
& per modum termini connexa, quæ connexio ces-  
sat cessante termino; illa vero sunt intrinsecè con-  
nexa, & unum continetur in altero tam secundum entita-  
tem, quam etiam secundum aliquam rationem alicujus  
prædicati essentialis; & tamen unum relativum non po-  
test quidditativè cognosci sine termino correlato, ergo  
minus illa, quæ realiter, & essentialiter intrinsecè sunt  
connexa, poterunt seorsim quidditative videri. Tan-  
dem quia natura Petri est realiter connexa cum Petreitate,  
non potest hæc natura Petri quidditativè, & intuitivè co-  
gnosci, nisi cognoscatur & Petreitas, ergo. Præterea ma-  
jor suadetur ratione: cognitio intuitiva fertur in rem præ-  
sentem prout à parte rei est, & quidditativa attingit totam  
rei quidditatem: quia si solum unum prædicatum quid-  
ditativum attingit, non potest dici propriè quidditativa,  
&

& intuitiva, sed præcisiva: unde qui in homine solum cognosceret animal, & non rationale, talis non posset dici, quod intuitivè, & quidditativè cognoscat animal, quia animal in homine physicè sumptum est etiam realiter rationale, ergo quæ realiter, & essentialiter à parte rei sunt connexa, unum non potest intuitivè, & quiditativè videri sine alio: nam illa omnia à parte rei sunt una entitas, aut saltem unum insertum, quare visu unum omnia cum illo essentialiter connexa videri debent. Minor principialis etiam probatur: Omnia attributa, & personalitates realiter à parte rei identificantur cum essentia divina; & sunt ad invicem essentialiter connexa, ipsaque ratio entis infiniti, & à se intimè transcendentaliter imbibitur in omnibus prædicatis divinis, unde quandocumque, quomodo cuncti concipiuntur, semper debent concepi pro implicito importare essentiam, & tota distinctio, quæ intercedit, est penes explicitum, & implicitum, nullatenus verò penes excludens & exclusum. Itaque si cognitione præcisia non potest adæquate unum attributum præscindere ab alio, quin hoc saltem illud implicè importet, quomodo amabò cognitione quidditativa, & intuitiva unum attributum sine alio, aut essentiam sine personalitatibus, quæ fertur in rem prout à parte rei est, quis videre poterit? ergo minor est vera.

Obijcies: Essentia divina gerit vices speciei impressæ, ergo essentia divina potest videri sine attributis. Consequentia probatur. hoc ipso, quod essentia divina gerat vices

vices speciei impressæ, poterit se ipsam repræsentare, & non attributa, sed in tali casu solum videbitur essentia, & non attributa, ergo. major probatur: Essentia divina liberè unitur intellectui beati in ratione speciei, ergo. & liberè unitur absolute conc. ex suppositione N. ant. Supposito enim quodd velit beare intellectum, debet illi necessarium uniri, sine qua unione non subsistit beatitudo, & debet quidem ita uniri, prout exigit visio beatifica: cum ergo visio beatifica essentialiter exigat videre omnia, quæ in Deo formaliter, & necessariò sunt, oportet quodd essentia divina uniatur intellectui beati in ratione speciei impressæ omnia illa unitim repræsentantis.

Contra essentia divina unitur intellectui beati in ratione speciei impressæ, quin repræsentet illi omnia, quæ in Deo virtualiter, & eminenter continentur, ergo etiam poterit illi uniri, quin repræsentet omnia, quæ in eo formaliter, & necessariò sunt. & N. consequentiam, disparitas est, quia illa, quæ virtualiter, & eminenter in Deo continentur, si sumantur in particulari, & passim sunt omnino extrinseca Deo, nec in eo formaliter existunt, minùs identificantur: quare poterit illa facile esse divina in ratione speciei non repræsentare; at verò attributa, Personalitates in Deo formaliter sunt, & identificantur cum illa: Personalitates præterea sunt modi essentiales, & intrinseci naturæ divinæ, quâ repræsentata, repræsentari debent omnia alia cum illa connexa.

G

Con.

Contra Possūm quidditativē, & intuitivē videre unum, quin intuitivē videam aliud cum illo connexum, ergo quamvis attributa, personalitates sint essentialiter connexa cum essentia, non sequitur, quod hāc visā, & repräsentatā debeant etiam illa repräsentari, & videri. Major probatur: Potest omnipotētia intuitivē videri, quin videantur omnes creaturæ possibiles. 2. Possūm quidditativē cognoscere Patrem, quin cognoscam in particulari filium. 3. Theologus cognoscit scientificè, & quidditativē theologiam, quin cognoscat quidditativē ejus objectum, quod est Deus; sed omnipotētia cum creaturis, relativum cum suo correlativo, scientia cum objecto sunt essentialiter connexa, erga. R. ad 1. Omnipotentiam essenti-aliter co[n]necti cum creaturis possibilibus in comuni, non verò in particulari. ad 2. dico illam cognitionem, quā cognosco Patrem, non autem filium in particulari, esse intuitivam, & quidditativam imperfectē. Ad 3. R. Theologum cognoscere quidditativē & Theologiam, & Deum, non quidem materialiter, & secundūm se, sed formaliter, & in esse objecti. Hinc habes, minimè sequi, quod ex illis, quæ essentialiter sunt connexa, possit unum intuitivē videri, quin videatur aliud.

Obijciēs 2. Deus potest beato infundere lumen gloriæ, quō solūm videat essentiam, & non attributa. ergo ant. probatur, Deus infundit lumen gloriæ ad libitum, consequenter potest infundere perfectius, & imperfectius, prout

prout sua sancta voluntas voluerit. R. N. consequentiam: nam lumen gloriæ quantumvis imperfectissimum perficit intellectum in ordine ad claram, & intuitivam Dei visionem, quapropter debet esse ratio videndi totum, quod in Deo formaliter, & necessariò est.

Contra Deus potest dare alicui, sicut & multis dedit lumen Propheticum, quô solum aliqua prænuntiârunt, & præviderunt, ergo potest & beato dare lumen gloriæ, quô solum aliqua in Deo videat. Consequentia probatur: non minus lumen propheticum est participatio luminis divini, quam lumen gloriæ, ergo si &c. R. N. consequentiam, lumen enim propheticum ex se non datur ad intuitivam, & quidditativam rei cognitionem; benè autem lumen gloriæ: cuius ratio est, quia lumen gloriæ est participatio luminis divini, quatenus eō Deus beatus est: Deus vero est beatus se quidditativè, imò, & comprehensivè videndo; at lumen propheticum hōc modō non est participatio luminis divini, sed præcisè quatenus est aliqua cognitio, & datō, quodd sit æqualis participatio utriusque, attamen lata disparsitas est: nam illa ad quæ prænuntianda datur lumen propheticum non sunt semper essentialiter connexa, hinc possunt per illud aliqua prædici, quin prædicantur reliqua. Econtra illa, ad quæ videnda infunditur lumen gloriæ, sunt inter se maximè connexa, consequenter unum nequit videri sine alio.

Urgebis, Deus potest facere, quodd beatus stante lu-

mine gloriæ nihil videat, ergo poterit facere, quod tantum aliquid aliqua videat, ant. probatur Deus potest se intellectui perfuso lumine gloriæ in ratione speciei intelligibilis non unire, sed in tali casu nihil videbit, quia visio non sit, nisi ex objecto, & potentia, ergo. Consequentia probatur, facilius est lumine gloriæ aliqua videre, quam nihil videre, sicut credibilius est, quod oculus apertus possit aliqua videre, quam nihil videre, ergo. **N.** consequentiam, licet abolutè facilius sit lumine gloriæ aliqua videre, quam nihil videre, si haec non sint inter se essentialiter connexa, non autem si sint essentialiter connexa, unde facilius Deus potest præstare, quod beatus stante lumine gloriæ prorsus nihil videat subtrahendo illi objectum, quamquod unum videat, & non videat alterum cum illo essentialiter connexum. Instantiam habemus in visione corporali, potest enim quis facere, quod apertis oculis nihil videat v.g. Subtrahendo objectum lucidum & colloratum: non tamen facere potest, quod exhibendo objectum visibile oculus apertus illud non videat, ergo pariter.

Instabis, impossibilius videtur, posse posita ultima dispositione impediri resultantiam formam, quamquod unum videatur sine alio secum connexo; quod majorem vim obtinet in Sententia Thomistarum dicentium: ultimam dispositionem provenire ab ipsa forma, sed lumen gloriæ est ultima dispositio ad unionem essentiæ cum intellectu beati in esse intelligibilis: & tamen potest beatus

juxta

juxta dicta lumine gloriæ perfundi, quin ipsi uniatur essentia divina in esse intelligibilis, ergo poterit in Deo unum videri sine alio, etsi sint essentialiter connexa. Major patet: nam implicitorum est, ultimam dispositionem provenire à forma, & non esse ipsam formam introductam, ergo. Ex majorem esse veram, quando ultima dispositio, & forma naturaliter, & per actionem necessariam, & ex se essentialiter ordinatam ad introductionem talis formæ producuntur, minimè vero, si ultima dispositio, & forma per actionem liberam introducuntur, sicut fit in prælenti: Deus enim liberè infundit lumen gloriæ, & liberè unit suam essentiam intellectui beati in ratione speciei intelligibilis, & ita potest unum introducere, quin introducat aliud.

## CONCLUSIO VIII.

non potest plenè tota entis possibilitas videri in  
Verbo, nec extra Verbum. \*

**P**robatur: Si creaturæ possibles collectivè sumptæ possent in verbo, aut extra verbum videri, comprehendenderetur omnipotentia divina, sed hæc nequit comprehendendi; ergo nec possunt videri omnes creaturæ possibles. Major probatur: Vero effectu, & objecto adæquato potentia comprehenditur potentia, sed omnes creaturæ possibles sunt effectus, & objectum adæquatum omni-

nipotentiaz, ergo si &c. major probatur, quando totum posse potentiaz secundum omnem modum suaz activatis videtur, comprehenditur potentia: quia illius essentia consistit in posse ( unde potentia dicitur ) non autem in actuali producere; sic licet videatur omnis, & totus effectus actualis potentiaz, illa tamen non comprehenditur, quia praeter omnes effectus actuales adhuc manet in potentia aliqua vis productiva cognoscibilis: sed visio totu, & adaequato effectu nihil remanet in potentia cognoscibile, quod non fuisset jam prius in effectu cognitum; quemadmodum producto adaequato effectu nihil manet in causa producibile, sic visio adaequato effectu nihil manet in potentia cognoscibile. Ubi advertendum, si omnes creature possibles viderentur in verbo, comprehendetur directe omnipotentia divina, quia omnis cognitio effectus in causa prioritate naturae terminatur ad causam; si extra verbum, sic solum indirecte comprehenditur omnipotentia: utriusque tamen cognitio esset infinita, non solum extensivè, sed etiam intensivè, utraque enim esset comprehensiva Dei, quæ necessariò debet esse infinita intensivè. Ex quo habes, quod si omnes creature possibles viderentur extra verbum, non tantum Deus comprehendenderetur pure extrinsecè, in hoc sensu, quod solum ejus effectus adaequatus comprehendenderetur, non vero ille ipse in se ipso: non inquam, sed etiam Deus in se ipso comprehendenderetur, quia licet totalis creaturarum possibilium visio directe terminaretur ad illas, indirecte tamen

tamen ad ipsum Deum terminaretur, & idē indirecte  
comprehenderetur, si illæ directe viderentur.

Obijcies contra utramque conclusionis partem: Ex  
visione omnium creaturarum possibilium non sequitur  
comprehensio omnipotentiæ divinæ, ergo. ant. proba-  
tur, ad comprehensionem requiritur, quid res tota, &  
totaliter cognoscatur, sed etiamsi viderentur omnes  
creaturæ possibles, adhuc omnipotentia totaliter non vi-  
deretur, ergo. minor probatur: in tali casu non videret  
totaliter totum posse omnipotentiæ divinæ, ergo. proba-  
tur, posse omnipotentiæ divinæ non solum terminatur ad  
creaturas possibles, sed etiam actuales, sed in tali casu  
solum viderentur creaturæ possibles, & non actuales,  
ergo non videretur totaliter totum posse omnipotentiæ di-  
vinæ. R. N ultimam minorem, quia creaturæ actuales  
sub conceptu etiam actualitatis sunt quid possibile, & non  
dicens repugnantiam: quare si omnes creaturæ possibles  
viderentur, deberent etiam videri omnes actuales, con-  
sequenter tota, & totaliter videretur omnipotentia divina.

Contra visis omnibus creaturis possibilibus non vide-  
rentur omnia Decreta Dei libera, ergo in tali Hypothesi  
non viderentur omnes creaturæ actuales. R. dist. conse-  
quens, non viderentur omnes creaturæ actuales ut ter-  
minant Decreta Dei libera conc. ut terminant ipsam omni-  
potentiam divinam secundum se sumptam N. conseguen-  
tiam. Creaturæ actuales possunt dupliciter considerari  
vel

vel per respectum ad decreta Dei libera, quatenus per illa  
liberè ex statu possibilitatis ad talem, vel talem modum  
existendi educuntur, & taliter creaturæ actuales non vi-  
derentur visis omnibûs possibilibûs. 2. Per respectum  
ad omnipotentiam, prout ipsorum esse actuale etiam  
quid possibile est: quia ex actuali existentia rerum opti-  
mè deducitur earum possiblitas; & hoc modo creaturæ  
actuales deberent videri visis omnibûs possibilibûs.

Dices visis omnibûs possibilibûs viderentur creaturæ  
actuales non qua actuales, sed quatenus sunt quid possi-  
ble, sed posse omnipotentiæ divinæ terminatur ad crea-  
turæ actuales, quæ actuales sunt, ergo visis creaturis  
possibilibûs non totaliter videretur posse omnipotentiæ  
divinæ. Major patet, tunc enim solum viderentur ut sunt  
terminus omnipotentiæ divinæ, qui debet esse quid ne-  
cessarium, & possibile. 2.1. Vis a tota collectione crea-  
turarum possibilium viderentur creaturæ actuales quæ  
actuales, sed non sub ratione formalissima actualitatis.

Obijcies 2. principaliter contra 2. partem Conclusio-  
nis: nulla est repugnantia, videri totam collectionem  
creaturarum possibilium extra verbum, ergo. ant. pro-  
batur, si esset aliqua, esset hæc, quia talis cognitio debe-  
ret esse infinita, & comprehensiva omnipotentiæ divinæ,  
sed talis non esset, ergo minor probatur; non esset infi-  
nita, quia solum terminaretur ad numerum syncathego-  
rematicè infinitum: 2. Quia omnes creaturæ collectivè  
sumptæ

sumptæ sunt simpliciter quid finitum. 3. Ratio infinitatis cognitionis simpliciter infinitæ debet desumi non solum ex objecto infinito, sed etiam ex modo cognoscendi, & ipsa potentia cognoscente, quæ omnia in tali casu finita essent. 4. Ad hoc, quod dicatur cognitio simpliciter infinita, non sufficit, quod terminetur ad objectum infinitum, sed insuper requiritur. quod ad illud terminetur secundum omnem modum cognoscibilitatis; sic visio Dei non est infinita, quamvis terminetur ad Deum infinitum, quia tamen non terminatur secundum omnem modum cognoscibilitatis essentia divinæ, simpliciter finita est.

Probatur etiam minor quo ad 2. partem. Dum videatur effectus extra causam, non videtur hoc ipso eius virtus productiva, ut patet in visione fructuum ab arbore decerpitorum, qui videntur, quin comprehendatur eorum vis productiva. 2. Cognitio desumit suam speciem ab objecto, quod immediatè respicitur, & à quo primariò movetur potentia cognoscitiva, at cognitio creaturarum solum primariò respiceret creature possibiles illasque comprehendenderet; & non omnipotentiam, ergo. hujus non esset comprehensiva.

R. Ad probam 1. partis: Cognitio creaturarum possibilium non esset infinita simpliciter ex eo, quia ad numerum syncategorematicè infinitum terminaretur, sed idè quia esset comprehensiva omnipotentiae divinæ. Ad 2. R. Omnes creature possibiles esse quid finitum in esse

entis, non verò in esse objecti. Ad 3. Si videret omnes  
creaturas possibles, cognitio etiam ex parte potentiae co-  
gnoscentis esset infinita, quia deberet habere lumen infi-  
nitum. Ad 4. dico, si viderentur omnes creaturæ possibi-  
les, deberet ad illas terminari secundum omnem modum  
cognoscibilitatis, quia quilioet est quædam formalitas  
possibilis, secus si non terminaretur secundum omnem  
modum cognoscibilitatis, sic non videret omnes crea-  
turæ possibles, quod & nos dicimus.

¶. Pariter ad 2. partis probam: quando totus, &  
adæquatus effectus potentiae videtur, debet saltem indi-  
rectè eorum vis productiva videri: nam inter effectum  
adæquatum & totum posse potentiae est relatio æquiparan-  
tiæ. Ad id, quod subiungitur de arbore dico, quod fru-  
ctus ab ea decerpti non sint effectus adæquatus ejusdem,  
quia in infinitum plures possibles sunt, quibûs visis uti-  
que comprehenderetur tota vis productiva arboris. Ad 2.  
¶. dist. consequens ergo illarum esset comprehensiva, &  
non omnipotentiae per se, & directè conc. per accidens,  
& indirectè N. consequentiam, nam ex cognitione om-  
nium creaturarum possibilium per accidens, & indirectè  
comprehenderetur omnipotentia divina, quia compre-  
henderetur ejus effectus adæquatus essentialiter cum illa  
connexus.

PRO-

# PROLOGIUM

in  
TRACTATUM  
SSS. Trlnltatls.

**Q**uam sublimis sit hujus Mysterij Excellentia, ne-  
mo, nisi, qui trinus est, Deus, illam dignè evol-  
vere potest: in omnibus Deus omnipotens, in  
hoc solum impotens, quod intellectum effingere neque-  
at, à quo suæ perfectionis circumscriberetur abyssus:  
sed id ipsum summum divinæ excellentiæ argumentum  
est, quod ille, à quo, in quo, per quem sunt omnia, à  
nullo, per nullum, in nullo comprehendendi possit; unde ad  
tantam Majestatem cœli columnæ contremiscunt, sub-  
missaque cervice Dei protestantur immensitatem. Etta-  
men perfida Hæreticorum Hydra suum erexerat caput,  
illumque, quem cœli capere non possunt, temerario au-  
su scrutari volebat, dum diversas, sed sacrilegas de Deo  
uno, & trino tulerat sententias. Ast! iniqui Majestatis  
Scrutatores gloriâ oppressi, dum se cum Lucifero supra  
Deum exaltârant, in Crimen læsiæ Majestatis incidentes  
Paradysi exules tulerunt supplicium. Etenim hæc est di-  
vinæ Majestatis proprietas, exaltare humiles, superbos  
deprimere. Proinde parce Deus omnipotens, quod au-  
sim Divinitatis tuæ Sacrarium ingredi: parce, non enim  
illud profano strepitu violare, sed captivo mentis obtutu  
venerari desidero. Jam verò, dum præsenti Th:ologico

discursu immensum Divinitatis pelagus ingredior, non illud enavigare, sed illic submergi cupio, ut ita in principio & fine meo sepultus vivam æternū.

## Elenchus Hæreticorum sacrilegè in Mysterium SSS. Trinitatis peccantium.

**N**oëtus Ephesius, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unam Hypostasim esse dicebat, consequenter omnes tres simul incarnatos, & passos fuisse: Discipuli ejus erant Praxeas, & Hermogenes, qui & Patri passiani sunt appellati, eò quod Patrem passum esse dictitabant. Hæc Hæresis cœpit sub Gallo Imperatore anno Chrisii 257.

Paulus Samosatanus, fuit quidam Antiochenus Episcopus, unam esse Personam Patris, Filij, & Spiritus Sancti, Christum non esse consubstantialem Deo assert: Deitatem, & substantiam Spiritui sancto tollit. In Synodo Antiochena à Malchione Presbytero convictus & damnatus est anno 273.

Sabellius Afer Pentapolitanus dicebat, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, unam esse Hypostasim, & unam Personam, quæ tria habet nomina: & in veteri testamento ut Patrem, legem tulisse, in novo autem ut filium, hominem factum esse, ut Spiritum sanctum ad Apostolos venisse. Adversus eum scripsit Dionysius alexandrinus Episcopus.

Marcellus Episcopus Ancyrae minoris galatiae, à quo Marcelliani, similiter negavit Trinitatem Personarum: dicebat

cebat autem quamdam extensionem Divinitatis Patris ad Christum venisse, & eam vocabat Deum verbum. Universa autem peracta œconomia, eam rursus tractam, & rever- sam esse ad Deum, à quo extensa fuerat. Spiritum autem sanctum dixit, esse extensionem extensionis, & eam Apostolis esse exhibitam, & omnino existimabat Trinitatem & extendi, & contrabi pro consiliorum, & œconomiarum diversitate. Ita Theodoreetus.

Hieraces, à quo Hieracitæ, Græcis, & Agyptiacis litteris instructissimus unigeniti Nativitatem negat: putat Melchisedec Spiritum sanctum esse.

Arius Alexandrinus Presbyter docuit, Patrem solum esse Deum invisibilem, & adorandum, Christum, sicut & Spiritum sanctum creaturam esse &c. Hic dum se Constantiopolis in Alexандri locum suffectum iri speraret, publicè insolita pompa processit: sed in via, ut loquitur Theodoreetus, eum venter ursit, unde publicas latrinas ingressus est, qui eum sequebatur famulò foris relicto; repente autem dissolutis, & excretis intestinis sedens mortuus est. Ejus secta Exordium sumpsit anno Domini 324. Constantini decimo quinto.

Eusebius Beryensis, postea Nicomediensis Episcopus frater Eusebij Cæsariensis Ario familiarissimus mortuus est sub Julio Romano Episcopo, cùm Sardicense Concilium per Constantem, & Constantinum indicium esset. Hinc Eusebiani confitentur Christum filium esse, non tamen naturale Verbum; sed ratione, & intellectione tantum filium appellari.

Mace-

*Macedonius Episcopus Constantinopolitanus filium Patri Coessentialis negabat, tamen nec factum, nec creatum (ut Arius) affirmare volebat. Sectatores Semi Ariam appellantur.*

*Duliani appellationem ab impietate sortiti sunt, eò quod unigenitum Dei filium servum Patris vocare ausi sint, hoc Syllogismo suam Blasphemiam roborantes: omnis creatura servit ei, qui illam creavit, filius autem Patris est creatura, ergo. Sed quam Sacilega sit hujus argumenti suppositio, patet.*

*Donatus Numida, inter reliqua deliramenta filium Patri non consubstantialem, sed minorem Patre, & filio Spiritum sanctum esse. asseruit &c. Hæc Hæresis cœpit in Lybia, quemodo Africa vocatur anno Domini 331. Unde Donatistæ, aut Montanistæ dicti sunt.*

*Acacius Cæsariensis Episcopus filium Patri similem in voluntate, non autem in essentia prædicavit.*

*Anastasius Imperator, non Trinitatem, sed quaternitatem adorandam proposuit; ob quod facinus fulmine percussus est.*

*Petrus Abelardus, de quo superius dictum est, sensit eandem esse essentiam, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, sicut eadem oratio est proposilio, assumptio, & conclusio. Item Patrem esse plenam potentiam, Filium quamdam, Spiritum sanctum nullam potentiam.*

*Georgius David Delphus in Hollandia natus, putabat se esse tertium Davidem, incujus animam tota SS. Trinita-*

*nitatis Divinitas confeditset. Itaque omnes reliquos, immo ipsum Christum nihil, nisi meram literam, & carnem extitisse, cui uni orbis terrarum Imperium a Deo traditum esse: bujus secta deprehensa est anno 1559. Alios vide alibi.*

## CONCLUSIO IX.

**Cognitio SSS. Trinitatis a nullo potest ex Viribus,  
& Mera potestate naturae haberi. \***

**P**robatur, Illa ex viribus naturae non possunt cognosci, quae simpliciter ex libera Dei revelatione cognoscuntur, sed Mysterium SSS. Trinitatis simpliciter ex libera Dei revelatione cognoscitur, ergo. minor probatur, quae non sunt praembula ad fidem simpliciter, & per se mediante Dei revelatione cognoscuntur, sed Mysterium SSS. Trinitatis non est praembulum ad fidem, ergo. minor videatur certa, illa enim dicuntur praembula ad fidem, in quibus relucent opera naturae, in mysterio autem SSS. Trinitatis talia non relucent: si enim quid naturale reluceret, essent creaturae, haec nequeunt esse, cum virtus earum proxima, quam producuntur nempe omnipotentia, spectet ad unitatem essentiae, & non ad distinctionem Personarum; quod ex eo colligitur, si per impossibile Deus non esset trinus, adhuc omnipotens esset, quia in tali sumpositione divinitas adesset, ratione cuius competenter illi omnipotentia. Sicut ergo Mysterium Eucharistiae

ristiæ simpliciter, & per se ex revelatione divina pendet, quia in eo nullus effectus naturalis elucet: ita Mysterium Trinitatis simpliciter ex ea pendebit, cum etiam in eo nulum opus naturæ, ejusque vestigium resplendeat.

Confirmatur, Mysterium Trinitatis in hoc consistit, quod sint tres personæ realiter inter se distinctæ, in una eademque numerô singularissima essentia, & divinitate: Pater qui à nullo est genitus, Filius, qui à Patre ab æterno est genitus, Spiritus sanctus qui ab æterno procedit à Patre, & Filio, sed hæc naturali ratione nec probabiliter cognosci possunt, ergo. minor probatur. Supradicta non possunt naturali ratione nec probabiliter quidem cognosci, nisi detur medium naturale probabile supradicta representans, sed tale non est dabile, ergo. minor probatur, omnia media naturalia opponuntur, & contrariantur tali mysterio, probatur natura docet, & demonstrat unius substantiæ esse unum suppositum: agens communicare alteri naturam numerô distinctam: quod nihil producatur sine dependentia, & causalitate: quod producens sit prius tempore, aut naturâ productō, quæ & similia valde aliena sunt, & contrariantur illis, quæ in Trinitate reperiuntur, & ita illa omnia media naturalia in ratione manifestationis opponuntur.

Obijcies Natura dictat, quod illa, quæ in creaturis reperiuntur, debeant excellentiori, imo perfectissimo modo in Deo reperiri, sed hoc ipso Mysterium SSS. Trinitatis

nitatis naturali ratione cognoscibile est, ergo. minor probatur, supposito quod natura dictat, illa, quæ in creaturis reperiuntur, debere in Deo esse perfectissimô modô, jam intellectus ex viribus naturæ sic argumentabitur: In creatis unius substantiæ est unum suppositum: agens communicat alteri naturam numerô distinctam: quidquid producitur, producitur cum dependentia, & causalitate. Ergo in divinis unius substantiæ erunt plura supposita: agens communicat alteri eandem numerô naturam, & quæ producuntur, producuntur sine dependentia, & causalitate: sed hæc constituunt Mysterium SSS. Trinitatis, ergo facta suppositione. quod natura dictet, illa, quæ in creaturis reperiuntur, debere esse in Deo perfectissimô modô, mysterium Trinitatis ex viribus naturæ cognoscitur.

¶ Licet natuar dictet, quod illa, quæ in divinis sunt, debent ibi esse perfectissimô modô: & viribus naturæ notum sit, quod ejusdem substantiæ nequeant esse plura supposita &c. Non tamen poterit quis determinatè inferre, in divinis debere esse unius substantiæ plura supposita &c. Sed solum quod sine omni imperfectione debeat substantia divina incommunicabiliter existere, & sine aliquo sui defectu communicabilem, & ab omni alio independentem esse. Et ratio hujus est: quia intellectus ex viribus naturæ non potest unum interre ex alio, nisi illatum sit consonum naturæ, sed quod unius substantiæ sint plura supposita; eadem numerô natura sit in pluribus, & productum excludat dependentiam à producente, potius natu-

rali rationi dissonum, quām consonum est, inde intellectus nequit supradicta inferre.

Contra in Deo summa perfectio est, quodd sit eadem numerō substantia, & natura in pluribus suppositis, & quodd filius producatur sine dependentia, & causalitate: atqui intellectus creatus ex viribus naturae judicat, in Deo debere esse summam perfectionem, ergo. R. dist. minorem, debere esse summam perfectionem, & simul naturali ratione cognoscit, in quo consistit summa Dei perfectio N. & hoc non cognoscit conc. minorem. Scit quidem naturali ratione in Deo debere esse summam, & infinitam perfectionem, sed determinatè non potest cognoscere in quo sit talis perfectio posita. Sicut homo naturaliter scit beatitudinem, & ultimum finem debere perfectè satiare appetitum; non tamen naturaliter scit, in quo ejus beatitudo determinatè consistat, & quomodo, aut qualiter satietur appetitus. Ita in præsenti puncto proportionatè ad supradicta discurrendum est.

Urgebis: Intellectus creatus naturaliter scit, & cognoscit, naturam rationalem per intellectum producere verbum, per voluntatem impulsū: cognoscit præterea naturalē divinam esse perfectissimā intellectualem; ergo & naturaliter cognoscit naturam intellectualem perfectissimā producere perfectissimum verbum, & impulsū, sed perfectissimum verbum, & impulsus est ejusdem naturae cum producente. Ergo. cognoscit naturaliter in divinis debere esse productum ejusdem naturae cum producente.

¶. Intellectum quidem naturaliter cognoscere, naturam  
intellectualē perfectissimā debere perfectissimum  
verbum, & impulsū producere, sed naturaliter non  
cognoscit rationem perfectissimi verbi, & impulsū de-  
bere esse ejusdem numerō naturæ, sed potius contrarium  
judicat, secundūm naturalem rationis ductum, produ-  
cens realiter distingui à producto, proinde, & naturam.  
Unde nequamquam potest cognoscere Mysterium Tri-  
nitatis, quod fundatur in hoc, quod eadem numerō natura  
sit in tribus suppositis.

Instabis. Qui naturaliter cognoscit verbum, & im-  
pulsū divinum, debere esse perfectissimum, cognos-  
cit etiam, ea debere esse ejusdem numerō naturæ cum pro-  
ducente. ergo naturaliter cognosceret Mysterium SSS.  
Trinitatis. Ant. probatur: homo naturaliter scit, non  
esse possibles plures Deos numerō, aut specie distinctos,  
consequenter etiam cognoscit non esse plures naturas di-  
vinas numerō distinctas: sed talis naturaliter cognosceret,  
verbum, & impulsū à natura divina productum esse  
divinum, quia verbum procedit in similitudinem naturæ  
cognoscētis, ergo naturaliter cognosceret verbum dehe-  
re esse ejusdem naturæ cum producente. ¶. dist. debere  
esse divinum tanquam aliquid à Deo procedens conc. de-  
bere esse divinum in se N. minorem, & consequentiam:  
talis cognosceret verbum, & impulsū à Deo provenire,  
sed non cognosceret, quod hoc debeat esse adæquatè di-  
vinum, seu ejusdem naturæ. Instantiam habemus in crea-  
turis

turis: scimus equidem naturali ratione, has esse quid Dei: ex hoc tamen non licet inferre eas esse adaequatè divinas. Ita in nostro casu discurrendum est: ille, qui naturaliter cognoscit verbum, & impulsum ab intellectuali natura perfectissima productum; cognoscit quidem haec debere esse quid divinū, sed naturaliter non cognoscit illa esse adaequatè divina in hoc sensu, quasi essent ejusdem naturæ cum producente, quod tamen necessarium est ad cognoscendum Mysterium SSS. Trinitatis:

## CONCLUSIO X.

erInClpla proXIMa, per qVæ personæ Inflnltæ pro-  
DVCVntVr, \* CenlentVr IntelLLeCtus, & VoLVn-  
tas non In seMetlpsls speCtata: at proVt respl-  
ClVnt, & Connotant reLatlones. \*

**P**robatur: Processiones divinæ non possunt intelligi  
à natura divina procedere, nisi quatenus intelligens,  
& volens est, sed hoc ipso intellectus, & voluntas sunt  
principium proximum divinarum processionum, ergo.  
Major constat, nam processio nequit intelligi à natura di-  
vina provenire, nisi quatenus est in actu, sed natura jux-  
ta nostrum modum concipiendi est in actu, quando con-  
cipitur intelligere, & velle; ante hos enim actus solum est  
intelligens. & volens, quam mediante intellectu, quod  
exprimit actum primum. Minor probatur; Natura divi-

na non est intelligens, & volens, quām mediante intellec-  
tu, & voluntate, ergo si processiones sunt à natura di-  
vina quatenus intelligens, & volens est, intellectus, &  
voluntas sunt principium proximum divinarum proce-  
sionum. Ant. patet, intelligere, & velle sunt actus intel-  
lectus, & voluntatis, ergo.

**Confirmatur:** In divinis debemus philosophari per  
analogiam ad creaturas, sed in creaturis intellectualibus  
natura non est principium immediatum productionis ver-  
bi, & amoris, sed intellectus, & voluntas, ergo. Ne-  
que obstat, si dicas, quod modus operandi creaturarum  
sit imperfectus, hinc debent operari medijs principijs pro-  
ximis: sed modus operandi naturæ divinæ est perfectissi-  
mus, quapropter per se, & non per principia proxima  
operatur. Non inquam obstat, quamvis hoc verum sit,  
si sermo sit de principijs proximis realiter, non vero vir-  
tualiter à natura distinctis: quod patet in productione  
creaturarum, quæ à Deo non producuntur nisi mediante  
omnipotentia, tanquam virtute proxima, ex hoc tamen  
naturæ divinæ nulla imperfectio accrescit, ergo nec in no-  
stro casu.

Probatur Conclusio quod ad 2. partem, Intellectus,  
& voluntas sunt principia divinarum processionum, qua-  
tenus aliquid dicunt, aut spirant, sed non dicunt, & spi-  
rant, nisi quatenus connotant relationes: Idēd namque  
filius non dicit, nec spiritus sanctus spirat, quia in primo  
in-

intellectio non est modificata relatione Paternitatis: & in secundo volitio non est modificata relatione spirationis activæ, ergo. Major liquet: Aliâs intellectus, & voluntas Patris, Filij, & Spiritus sancti essent indiscriminatim principia proxima divinarum processionum. Defacto tota ratio, quare filius non producat alium filium, est, quia ejus intellectio non est dictio, sicuti est in Patre. Nihilominus diligenter advertendum est, relationes non esse, quasi conprincipia divinarum processionum, hoc enim modo saltem inadæquate concurrerent ad productionem divinarum processionum, quod tamen dici non potest: utpote relatio sive summatur sub conceptu expresso relationis exercitæ, sive sub conceptu formæ Hypostaticæ, aut personalitatis, nunquam activa est; nam taliter spectata vel est purus respectus, vel terminus comprehens naturam: sed tantum se habet tanquam conditio sine qua non, aut ad modum complementi, quemadmodum se habet existentia actualis respectu operationis causæ, sicut ergo existentia nullo modo est conprincipium effectus producti, sic etiam relatio respectu processionis divinæ.

Obijcies. Intellectus, & voluntas sunt principia proxima divinarum processionum, ergo etiam natura ut præintellecta intellectui, & voluntati. Probatur consequentia. Natura divina ut sic præintellecta est illimitata, ergo si intellectus, & voluntas sunt principia immediata divinarum processionum, erit etiam natura: quia si illimitata.

mitata est, jam nihil assignabile est, quod ejus influxum immediatum impediret. **R**et dist. ant. Natura divina ut sic præintellecta est illimitata positivè, in quantum non habet principium sui limitativum conc. est illimitata negativè N. ant. hoc enim modo est limitata negativè, quatenus ut præintellecta intellectui, & voluntati non habet actum communicativum sui. Ex hoc tamen Deus nec minimam quidem patitur imperfectionem, quia pro eo statu id est ante intellectum & voluntatem ipsi non competit talis actus: sicut nulla imperfectio est in Patre, quod in eo signo, quo generat filium, non spiret spiritum sanctum: quia illi in tali signo non convenit adhuc spirare.

**Dices:** Natura divina ut præintellecta intellectui, & voluntati est infinita, summè fæcunda, ergo erit principium proximum divinarum processionum. **R**et dist. ant. est summè fæcunda ab solutè, & quasi in actu signato conc. exercitè N. ant. quia natura secundùm se spectata non habet actum sui communicativum, sed dependenter à suis potentijs, quia natura quæ natura est solum principium radicale operationis; Hinc intellectus essentialiter præ-supponit naturam, tamen actus intellectus non petit supponere actum naturæ.

**Contra:** Natura secundùm se spectata habet suos actus & operationes, ergo poterit esse principium immediatum divinarum processionum. ant. probatur natura divini secundùm se spectata est subsistens, ergo habet suos actus

actus, & operationes, actiones enim sunt subsistentium.  
¶ N. conc. quod natura ut praaintellecta intellectui, & voluntati sit quidem subsistens, tamen antequam illa intelligentur non potest operari, quia subsistens ut quod non operatur, nisi mediante principio quo; quando ergo dicitur, actiones esse suppositorum, aut subsistentium, intelligendum est de illis mediantibus principiis proximis.

Neque obest, si dicas: natura divina secundum spectata est principium proximum attributorum, ergo etiam divinarum processionum.

Confirmatur 1. Paternitas immediatè dimanat à natura, ergo, & reliquæ relationes, consequenter, & Perlonæ, cùm sint constitutivæ personarum.

Confirmatur 2. Si per impossibile calor esset intellectivus, calefaceret non ut intellectivus, sed ut nunc est in sua natura, ergo pariter natura divina est principium ut in se est, non verò quatenus talis est mediantibus potentijs.

¶ Ad objectionem N. consequentiam, disparitas est nam attributta non petunt per specialem, & rigorosam actionem dimanare, sed dimanant per meram resultantiam, inde potest natura divina secundum se spectata esse principium dimanativum earum: at processiones divinæ exigunt rigorosam actionem, cùm ab illis debet assumi ratio originis, simulque quare una non sit generatio, benè tamen altera, quare sint duæ, & non plures.

Ad

Ad 1. confirmationem dico : nos non loqui de relationibus, sed de Personis : Persona namque super personalitatem dicit naturam, quam non dicit relatio, & ita non poterit dimanare a natura, cum persona exigat actum communicativum naturae, qui ante intellectum, & voluntatem non potest haberi. *R. 2.* dist ant. Paternitas dimanat a natura ut dicit relativam oppositionem N. ut non dicit talem oppositionem conc. ant. paternitas prout sumitur per ordinem ad essentiam, cui relativè non opponitur, potest dici impropriè proprietas: nequaquam vero, si consideratur, ut relativè opponitur filio: sic enim exigit actionem generativam, per quam redditur Pater. Et licet generatio presupponat Paternitatem sub ratione formæ Hypostaticæ, non tamen illam presupponit sub conceptu explicito relationis.

Ad 2. Confirmationem *R. in illa* Hypothefi calorem non calefacturum, ut intellectualem, quia intellectualitas non est forma ordinata ad praestandum praedictum effectum: at vero intellectus, & voluntas sunt per se potentiae naturae, per quas natura communicatur formaliter, aut identice personis.

*Obijcies 2.* Ideo natura secundum se nequit esse principium proximum divinarum processionum, quia non posset reddi ratio, quare una sit prior altera: quare una sit generatio, & non altera, quare sint duæ, & non plures, sed haec ratio est nulla, ergo. Minor probatur natura divina non esset principium proximum; nisi ut modifica-

ta relationibꝫ, quemadmodum in sententia Thomistica  
sunt intellectus, & voluntas modificata relationibus, sed  
hoc ipso posset supradictorum exactissima reddi ratio, er-  
go. minor probatur, quia responderi posset, idē una non  
est prior altera, quia prius natura divina intelligitur mo-  
dificari paternitate, quām spiratione: idē una est gene-  
ratio, & non altera, quia una est à natura ut modificata  
paternitate, non verò altera: tandem idē sunt duas solum  
processiones, quia naturam non modificant relationes,  
nisi ut intellectiva, & volitiva est. ergo. qꝫ. redderetur ho-  
rum ratio materialiter, & remota, non verò formaliter,  
& proxima, quia horum ratio solum peteretur ex parte  
connotationis, non verò ex parte ipsius naturæ, quæ ea-  
dem in se etiam virtualiter indivisa est; ut autem posse-  
mus proximam rationem reddere, illa desumenda esset ex  
parte principij formalis: quod tamen tam realiter, quām  
virtualiter unum esset: Intellectus autem, & voluntas  
sunt in se virtualiter distincta à natura, consequenter in se  
formaliter diversa principia

## CONCLUSIO XI.

Ratlo, qVare proDVctlo Verbl, non aVteM SpIrltVs  
sanCtl pro generatlone habeat Vr, est, \* qVla neMpe  
fllIVs proCeDlt Vt æqVaLls fV o patrl In nat Vra\*  
eX Dlgnltate, & VI proCessionls fVæ: non  
taMen splrltVs sanCtVs. \*

PRobatur: ut aliqua productio dicatur generatio, de-  
bet

bet ex vitalis actionis termino communicari natura, sed per productionem, quâ procedit Spiritus sanctus, ex vi sua ei non communicatur natura, ergo. Major constat, nam si duobus communicaretur natura, uni per genitaram, alteri per aliam actionem v.g. per talem, quali producta fuit Eva ex costa Adami: prima actio esset generatio, quia est per se ordinata ad comunicandam naturam; secunda autem non esset generatio, cum per illam terminus non per se, sed per accidens, & concomitanter acciperet naturam. Minor probatur: quando natura est ratio formalis terminandi actionem, tunc talis actio est generatio, nam actio formaliter specificatur à suo termino formalis, ubi ergo terminus formalis actionis est natura, ibi actio est vera generatio, sed ratio formalis terminandi processionem, seu productionem spiritus sancti, non est natura, ergo. minor probatur, processio spiritus sancti est per voluntatem, sed ratio formalis terminandi actionem voluntatis non est natura, sed solum impulsus, & inclinatio, qua est amans secundum affectum in amante: ergo.

Confirmatur: si per processionem, quæ est per voluntatem ex vi sua formaliter communicaretur natura, spiritui sancto: voluntas patris reduplicative sumpta esset intellectiva, sed hoc dici non potest, ergo nec illud, ex quo sequitur. Major probatur. Natura divina consistit in intelligere purissimo, sed istud communicari non potest

test formaliter , nisi per intellectivum , quale voluntas non est , ergo .

Confirmatur amplius , Natura petit formaliter communicari termino per actionem primariam talis naturæ , per alias enim actiones solum communicantur aliqua accidentia extrinseca , sed actio voluntatis non est actio primaria naturæ intellectualis , sed solum secundaria , ut potest alicujus , quod consequitur ad naturam , ergo per eam non potest formaliter communicari natura Spiritui sancto ; consequenter manet processionem verbi idem esse generationem , quia procedit ex vi processionis suæ in similitudinem naturæ non verò Spiritus sanctus .

Ex quo intelligis , sententiam illam , quæ afferit , idem processionem Spiritus sancti non esse generationem , quia non procedit per modum imaginis Patris , non assignare rationem à priori , sed solum à posteriori , quare processio Spiritus sancti non sit generatio : quia adducit aliquid consequens generationem passivam , prius namque est , Filium esse genitum , & similem Patri in natura , quam esse imaginem illius . Unde quod Spiritus sanctus non sit imago Patris , sequitur quidem à posteriori , ejus processionem non esse generationem ; sicut per hoc , quod leo non sit risibilis , infertur à posteriori , illum non esse rationalem : hic vero inquirimus rationem à priori ,

Infertur etiam contra Scotistas , falsum esse , Spiritum sanctum liberè procedere , sed procedit non minus nece-

necessariò, quām verbum: si enim Pater se naturaliter intelligendo necessariò producit verbum, quare etiam naturaliter se amando non produceret impulsum necessariò? Præterea quodliberè procedit, ita procedit, quod possit non procedere, sed absit, hoc dicere de Spiritu sancto, quod potuisset non procedere. ergo. Neque juvat dicere, quod illud, quod liberè procedit libertate contingentia, possit non procedere, non verò quod liberè procedit libertate essentiali, quæ convenit voluntati ut sic, quatenus præscindit à creata, & increata, & est fundatum omnium aliarum libertatum, consistitque in simplici dominio, quod habet voluntas supra suum actum. Non obstat: Juxta Scotistas libertas essentialis consistit in hoc, quod Pater necessariò producendo Spiritum sanctum habeat simplex dominium supra suam actionem, sed hoc dominium habere non potest, nisi possit talem actionem dimanativam Spiritus sancti omittere, alias servus, & non Dominus est. 2. Illa libertas in re omnino necessaria est, & nullatenus libera, quia entitative est ipse actus necessarius, & etiam terminativa. quia terminus, qui est Spiritus sanctus, omnino necessarius, & naturalis est. Jam verò cùm hoc omnia processioni verbū applicari possint, manet, Scotistas ad distinguendas processiones verbi, & Spiritus sancti non assignare legitimam rationem, dum dicunt, idè processionem Spiritus sancti non esse generationem, quia procedit per voluntatem liberè.

Obijci-

Obijcies. Spiritui sancto ex vi processionis suæ communicatur natura, ergo ratio supra attacta non est genuina, quare processio verbi sit generatio, non verò Spiritus sancti. ant. probatur, ad processionem Spiritus sancti quà talem concurrit essentia divina in ratione speciei intelligibilis, & simul etiam in ratione objecti diligibilis producit ut quo impulsum, ergo. Major constat, voluntas enim nihil vult, autamat, nisi priùs bonitas objecti ponatur intellectui, quod fit per se, vel vicariam sui speiem. Minor etiam videtur esse vera, cùm in divinis omnibus absoluta quæ sunt in producente, debeant esse in termino producto, si ergo essentia divina concurrit ad processionem Spiritus sancti quà talem, natura formaliter ex vi processionis suæ debet Spiritui sancto communicari.

N. ant. ad probam dist. Majorem. concurrit essentia divina in ratione speciei intelligibilis tanquam conditio sine qua non conc. ut principium, & ratio formalis agendi cum voluntate N. majorem, & applicata distinctione minori N. consequentiam.

Contra atqui essentia, seu natura divina concurrit ad processionem Spiritus sancti, tanquam ratio formalis agendi cum voluntate, ergo solutio nulla. Probatur, Principium radicale quo est ratio formalis agendi cum principio quo proximo in ordine ad effectum, sed natura divina, est principium radicale quo processionis Spiritus sancti, ergo essentia divina concurrit ad processionem tan-

tanquam ratio formalis agendi. & dist. ultimum conse-  
quens ergo tanquam ratio formalis agendi ad communi-  
candam naturam identicè termino producto, conc. ad  
communicandam naturam formaliter ex vi processionis  
N. consequentiam. Admitto, quod natura sit ratio for-  
malis agendi remota in processione Spiritus sancti, quia  
tamen agit mediante principio per se non ordinato ad com-  
municandam naturam, hinc Spiritui sancto tantum iden-  
ticè, & non formaliter communicatur natura.

Contra Rationi formalis agendi etiam remotæ debet  
ex vi suæ actionis correspondere aliquid in effectu, ergo si  
essentia divina in ratione objecti diligibilis est ratio forma-  
lis agendi remota: Spiritui sancto formaliter ex vi proces-  
sionis communicatur natura, ant. probatur. Ideò enim  
intellectus beati secundum nativam suam virtutem nihil  
producit in visione beatifica, quia quod in ea producit,  
non producit ex vi suæ naturalis actionis, sed ex vi lumi-  
nis gloriae, ergo cum natura divina secundum natura-  
lem vim concurrat ad processionem Spiritus sancti, debet  
illi ex vi suæ actionis correspondere aliquid in effectu, hoc  
non est aliud, quam natura, ergo. & conc. ant. & N. con-  
sequenter. Essentiæ ergo divinæ quatenus est in proces-  
sione Spiritus sancti ratio formalis agendi remota, corre-  
pondet illi aliquid ex vi suæ actionis: sed illud non est na-  
tura formaliter, sed solum impulsus cum non concur-  
rat cum voluntate sub conceptu naturæ formaliter, assi-  
mi-

milando sibi terminum, sed solum concurrit secundum  
exigentiam & conditionem voluntatis, de cuius ratione  
non est formaliter ex vi suæ actionis communicare natu-  
ram, sed solum amorem.

Instabis Natura unà cum voluntate est principium  
*quo* adæquatum processionis Spiritus sancti, ergo ex vi  
processionis suæ illi communicatur natura. Consequen-  
tia probatur. Terminus, seu effectus productus debet as-  
similari suo principio adæquato, sic Pater producendo fi-  
lium non solum illum sibi assimilat in potentia generativa,  
sed etiam in natura, ergo si natura unà cum voluntate, est  
principium *quo* adæquatum processionis Spiritus sancti,  
illi formaliter comunicatur natura. *R. conc. ant.* & nego  
consequentiam, ad probam dico, id verum esse, si agens  
operatur per potentiam per se ordinatam ad comu-  
nandam naturam, qualiter illam Pater communicat filo per  
potentiam generativam: non verò quando operatur per  
potentiam non ordinatam ad communicandam naturam,  
prout in nostro casu contingit: voluntas enim cùm non  
sit assimilativa, ejus actio non est per se ordinata, & com-  
municativa naturæ, sed solum amoris: dico per le, quia  
per accidens, & materialiter etiam est communicativa na-  
turæ, quatenus natura est realiter identificata cum amo-  
re per voluntatem producto.

Neque obstat dicere: impulsus iste est divinus, sed  
esse divinum non salvatur sine divinitate, ergo si iste for-  
mali-

maliter producitur, etiam formaliter communicatur di-  
vinitas, & i<sup>m</sup> impulsu<sup>m</sup> esse quidem divinum prout t<sup>o</sup> di-  
vinum supponit pro entitate divina transcendentaliter  
sumpta, non ver<sup>d</sup> prout supponit pro constitutivo natu-  
ræ divino. Nec idem valet dicere; quandounque duo  
sunt essentialiter connexa communicato uno, etiam alte-  
rum necessari<sup>d</sup> debet communicari, sed impulsus est sum-  
mè connexus cum natura, imd est realiter ipsa natura di-  
vina, ergo. & quando aliqua sunt essentialiter connexa  
communicato uno, etiam alterum communicari debet  
vel formaliter, vel concomitanter conc. semper for maliter  
N. majorem. tandem. non licet inferre: ergo natura Spiritui  
sancto non per se, sed per accidens comunicatur, conse-  
quenter non est per se, sed per accidens, & occasionat<sup>e</sup>  
Deus. Non inquam valet dicere, quamvis enim Spir-  
tui sancto per accidens communicatur natura, in hoc sen-  
su, prout t<sup>o</sup> per accidens contra opponitur perfectati forma-  
li ex vi processionis: non tamen per accidens, prout idem  
est, ac non essentialiter, quia etiam sic Spiritui sancto ex vi  
processionis suæ necessari<sup>d</sup>, & per se identic<sup>e</sup> communi-  
catur natura.

Obijcies 2. Productio Spiritus Sancti est univoca,  
sed de ratione productionis univocæ est, quod per eam  
termino formaliter communicetur natura, ergo. Major  
patet, alias Spiritus sanctus esset deterioris conditionis  
verbō: quia in productione æquivoca productum sem-  
per est deterioris conditionis suo producente, ut patet in

sole respectu sublunarum. Minor etiam patet, de ratione productionis univocæ est, quod ex vi talis productionis terminus sit similis producenti in natura: hæc enim est distinctio inter productionem univocam: & æquivocam, quod in prima terminus procedit ut similis producenti, non vero in secunda. **R. 1.** Concedo majorem, ad minorem dico, in productione univoca debere quidem formaliter communicari natura: hoc est tota ratio naturæ, non tamen necesse est, ut id fiat ex vi processionis formaliter, sed sufficit, quod illa materialiter, & identice communicetur: & per hoc sufficienter distinguitur à productione æquivoca, per quam termino nec identice communicatur natura producentis, ut videre est in sole, qui nullo modo sublunaribus communicat suam naturam. **R. 2.** Productio Spiritus sancti est univoca ex parte modi communicandi N. ex parte rei communicatae. concid est, est univoca, quia una cum impulsu realiter communicatur natura; non tamen est univoca ex parte modi communicandi, quia per eam non communicatur formaliter natura ex vi processionis, sed solum identice. Ratio autem, quare productio Spiritus sancti non sit univoca ex parte modi communicandi, est, quia est per voluntatem, quæ ex visu actionis non est assimilativa termini.

CON-

# CONCLUSIO XII.

reLatIones DIVInæ foār., & eX se non sVnt aLI-  
qVa perfeCtlo essentlæ sVperaDDlta. \*

**P**robatur: Juxta S. P. Augustinum 7. de Trinitate c. 7.  
8. & 10. in summa Trinitate tantum est una, quan-  
tum tres simul sunt, nec plus aliquid sunt duæ, quām  
una: sed hoc falsum eslet, si relationes divinæ dicerent  
aliquam perfectionem relativam, ergo. Minor probatur,  
tunc tantum non est una, quantum tres simul, quando  
una non habet tantum perfectionis, quantum habent tres  
simul, sed si relationes divinæ dicerent aliquam perfectio-  
nem, una Persona non diceret tantum perfectionis, quan-  
tum tres simul: quia tres simul important Paternitatem,  
filiationem, & spirationem passivam, quas una persona  
v.g. filij non importat, ergo.

Nec valet dicere, idē in tribus personis non esse plus  
perfectionis, quām in una, quia una saltem eminenter  
continet id totum, quod aliæ in se continent formaliter.  
Non valet dicere ex eo, quia in divinis ad intra non datur  
continentia eminentialis. Continentia enim eminentia-  
lis tantundem in illis admittenda est, quando aliqua per-  
fectio sibi admixtam habet imperfectionem, sed quidquid  
in Deo est ad intra, est perfectio simpliciter simplex ex-  
cludens omnē imperfectionem, unde debet illud forma-  
liter continere. 2. Nos loquimur de relationibus secun-

dum conceptum suum formalissimum, prout spectantur non imbibere essentiam divinam, sed una relatio non potest continere perfectionem alterius, cum taliter sibi opponantur. 3. Plus est aliquam perfectionem formaliter continere, quam eminenter, ergo si quælibet relatio suam perfectionem formaliter continet, aliarum vero solidum eminenter: una persona non potest tantum perfectionis dicere, quantum tres simul.

Nec valet dicere 2. Paternitatem æquivalenter continere perfectionem formalem filiationis, inde benè deducitur, in tribus personis non esse plus perfectionis, quam in una. 4. N. assertum: Paternitas enim est ultima differentia Patris, & filiatio Filij, sed una differentia nec æquivalenter est altera, quis enim dicet, irrationalitatem æquivalenter continere perfectionem rationalitatis? 2. Quod paternitas æquivalenter præcontineat perfectionē filiationis, vel hoc intelligendum est, quasi Paternitas idem munus præstaret, quod præstat filiatio: vel quod ratio formalis filiationis sit in Paternitate, neutrum dici potest, ergo non primum, quia alias Pater referetur ad se ipsum; munus namque filiationis est referre filium ad Patrem; nec secundum, alias Pater formalissimè esset Filius: non enim potest aliqua forma differentialis recipi in subjecto, quin tribuat ipsi suum effectum formalem.

Probatur Conclusio 2. Si v. g. Paternitas esset perfectionis relativa, deberet esse finita, aut infinita, neutrum di-

ci potest, ergo. Minor probatur, non finita, quia quid.  
quid in Deo est, hoc ipse Deus est: non infinita, impli-  
cat enim infinitum esse in aliquo genere, & non formaliter  
continere perfectionem illius generis: cum ergo una  
perfectio relativa aliam formaliter non contineat, nequit  
esse infinita in genere relativi. 2. Infinitum in determinato  
genere debet sibi realiter identificare omnem perfectio-  
nem illius generis, sed una relatio non identificatur realiter  
cum alia, ergo.

Confirmantur supradicta: Relatio tripliciter considerari potest, videlicet per ordinem ad subjectum, per ordinem ad terminum, quem respicit, & in se ipsa, ex nullo capite potest dicere perfectionem; non ex primo, sic enim deberet esse perfectiva ipsius subjecti, quod tamen non per se, & ratione sui, sed ratione termini respicit: non ex secundo, terminus enim se habet per modum purè extrinsecè terminantis: nec in se ipsa est perfectio, quia in se ipsa est purus respectus pertinens ad lineam non dicentem perfectionem, ergo relatio ex nullo capite potest dicere perfectionem.

Obijcies 1. Relationes divinæ sunt entitates relativæ virtualiter distinctæ ab essentia divina, ergo etiam sunt perfectiones relativæ virtualiter distinctæ à perfectione essentiæ. Consequentia probatur, bonitas, & perfectio seqvuntur ad entitatē, ergo. q. dist. ultimum ant. seqvuntur ad entitatem ut importantem, aut dicentem ordinem

ad

ad existentiam conc. non importantem, aut dicentem ordinem ad existentiam N. ant. Relationes autem secundum suum conceptum explicitum, & formalissimum non important, nec dicunt ordinem ad existentiam, sed sunt puri respectus, proinde non dicunt perfectionem, quæ desumitur ab ente existente, unde creaturæ possibiles à Deo non amantur, quia non sunt in actu.

Contra : In tantum aliquid est bonum, & perfectum, in quantum importat, & dicit ordinem ad existentiam, sed relationes divinæ important, & dicunt ordinem ad existentiam, ergo sunt bonæ, & perfectæ. minor probatur: Relationes divinæ sunt in actu completo, sed res non est in actu completo, quam per existentiam, ergo.

Confirmatur: Relationes divinæ sunt entia, ens verò definitur, quodd sit id, quod dicit aptitudinem ad existendum, sed hæc aptitudo est aliquis ordo. ergo Relationes divinæ non sunt accidens, sed substantia, atqui substantia est ens per se subsistens, aut existens, ergo relationes divinæ important existentiam. Rg. ad argumentum, dist. ultimam minorem Relationes divinæ sunt in actu per ordinem ad existentiam propriam. N. per ordinem ad existentiam essentiæ conc. minorem: inde solum dicunt perfectionem ratione essentiæ, quam includunt.

Dices: Relationes divinæ ratione sui sunt respectus, sed respectus dicit actum. Item Relationes ratione sui non sunt quid futurum, ergo quid actuale, ergo ratione sui

existentes. *¶*. ad 1. dist. minorem sed respectus dicit actum  
responsible conc. dicit actum existentiae, subdistinguo  
ratione sui N. ratione essentiae transcendentaliter inclusae  
conc. minorem. Ad 2. pariter respondetur, relationes ra-  
tione sui esse quid actualitatem respicientiae, non ve-  
rd existentiae propriæ: relationes enim secundum se præ-  
scindunt ab existentia, vel non existentia, sicut & præ-  
scindunt a finitate, vel infinitate.

Ad 1. partem Confirmationis N. aptitudinem entis ad  
existendum esse aliquem ordinem, sed esse tantum non  
repugnantiam ad existendum. Ad 2. dico Relationes divi-  
næ ut præscindunt ab essentia non esse determinatè sub-  
stantiam, nec accidens, sed præscindere ab utroque.

Dices. Ergo relationes divinæ erunt aliquis concep-  
tus communis. Probatur conceptus communis præscin-  
dit ab accidente, & substantia, ergo. *¶*. Conceptus com-  
munis præscindit ab accidente, & substantia tanquam ali-  
quid contrahibile per illa, conc. aliter N. Relationes divi-  
næ præscindunt a substantia, & accidente in hoc sensu,  
quod ratione sui nec sint substantia, nec accidens, sed pu-  
rus respectus.

Obiicies 2. Juxta D. Anselmum *Monologion c. 5.* Per-  
fectio simpliciter est, quæ in quolibet habente eam, me-  
lius est ipsam habere, quam non ipsam habere, sed melius  
est Patri, esse Patrem, quam non Patrem, ergo. Minor  
probatur, sicut melius est Patri esse sapientem, quam non  
sapi-

Sapientem, ita illi est melius esse Patrem, quam non Patrem. & dist. minorem, melius est Patri esse Patrem, si tò melius comparetur ad essentiam Patris conc. si ad nudam relationem Patris comparetur, melius est esse Patrem, quam non Patrem N. minorem. Quia melius est essentiæ divinæ esse communicabilem, quam incomunicabilem, non est autem communicabilis per relationes, nisi tanquam conditionem sine qua non, sed est per se ipsam remotè communicabilis, proximè verò per intellectum, & voluntatem: Relationes autem originis inde exurgunt in essentia divina concommitanter; Idèd illa particula melius comparata ad relationes, ut relationes sunt in suo esse formaliter exclusa essentiâ, & identitate, ac ordine ad essentiam non subsistit. Ad id quod dicitur, melius est Patri esse sapientem, quam non sapientem, esse verum, cum sapientia sit attributum; & quid absolutum perficiens Patrem in se ipso, & non in ordine ad aliud, prout fit in relationibus.

Dices dantur attributa respectiva, uti sunt misericordia, omnipotentia &c. & tamen melius est Deo illa habere, quam non habere, ergo licet relationes divinæ sint quid respectivum, tamen melius est Deo illas habere, quam non habere. & N. consequentiam, disparitas est, attributa uti sunt misericordia, omnipotentia in se, & intrinsecè, sunt praedicata absolute, licet extrinsecè, & juxta nostrum modum concipiendi explicitur, & ordinentur ad creaturas: at verò relationes formalissimè spe-

Cta.

**E**tatæ non sunt quid absolutum, sed omnimodo respe-  
ctivum.

Instabis: Relationes divinæ sunt quid positivum, ergo  
sunt aliqua perfectio. Consequentia probatur. Perfectio  
definitur ex Anselmo, quod sit illa, quæ in quolibet haben-  
te melius est ipsam habere, quæ non ipsam habere, sed  
melius est relationibus divinis esse quid positivum, quæ  
non positivum, ergo ex eo quod sint quid positivum di-  
cunt perfectionem. Ex explicando definitionem Anselmi,  
quod melius sit ipsam habere, quæ non ipsam habere:  
per tamen non ipsam non sumitur pro suo opposito contradic-  
torio: in hoc sensu certum est, omne positivum esse ab-  
solutè melius sua negatione contradictoriè opposita; sed  
debere intelligi pro quounque sibi incompossibili, quod  
cum conditione suæ naturæ stare non potest; sic licet me-  
lius est esse videntem, quæ cæcum, spirituale, quæ  
corporeum, incorruptibile, quæ corruptibile: tamen  
esse incorruptibile non est melius naturæ panis, quia si es-  
set incorruptibilis juxta naturam suam nutrire non posset,  
nec converti in alitum: si lignum videret, jam non esset  
lignum, sed esset quid aliud.

Obijcies tertio, Relationes divinæ distingvuntur vir-  
tualiter ab essentia, ergo dicunt perfectionem. Conseque-  
tia probatur: distinctio virtualis est æquivalentia pluri-  
bus perfectionibus creatis ex genere distinctis, ergo vel  
relationes sunt aliqua perfectio, vel non distingvuntur

M

vir-

virtualiter ab essentia. **R.** Relationes divinas ut virtuāliter distinctas ab essentia esse perfectionem, si suūman-  
tur adæquate prout implicitè important essentiam, non  
verò si considerentur inadæquate secundūm conceptum  
suum explicitum.

## CONCLUSIO XIII.

StatVltVr: Darl In Deo tres sVbsIstentias reLatIVas  
reaLlter Inter se, atqVe ratlone ab essentia  
DlstInCtas. \*

**P**robatur, Persona est subsistens in natura incommu-  
nicabiliter, sed hoc ipso dantur tres subsistentiæ re-  
lativæ realiter inter se, & virtualiter ab essentia distinctæ,  
ergo. minor probatur, quodocunque dantur tres subsi-  
stentes incomunicabiliter, debent quoque dari tres sub-  
sistentiæ relativæ, scd in Deo sunt tres subsistentes incom-  
unicabiliter, ergo. minor probatur, multiplicato effe-  
ctu formalí primario, debet multiplicari forma, cùm for-  
ma non caufet, nisi per exhibitionem suæ propriæ entita-  
tis, sed subsistere incomunicabiliter est effectus forma-  
lis subsistentiæ relativæ: nam per hoc distinguitur à sub-  
sistentia absoluta, quod per hanc natura subsistat per se  
perleitate independentiæ à subiecto sustentante; per il-  
lam verò subsistat per se perleitate incomunicabilitatis  
alte-

alteri ut supposito, dico ut supposito, per hoc enim in-  
nuere volo, naturam secundum se non esse personam,  
quia per subsistentiam absolutam non redditur incommu-  
nicabilis ut supposito, sic potius natura Patris communica-  
tur filio. Verum tamen est, quod natura prout in Patre est,  
non sit secundum omnem modum in filio, in Patre namque  
est ut a se habente naturam, in filio, ut ab alio, in Spiritu  
Sancto ut ab utroque, ergo si sunt tres subsistentes incom-  
municabiliter, tres sunt subsistentiae relativae.

Confirmatur Subsistentia absoluta non potest redde-  
re personas divinas incommunicabiliter subsistentes, ergo  
ant. probatur. 1. Quia absoluta sunt communia. 2. Impos-  
sibile est, quod forma in determinato genere praestet ef-  
fectum formalem formae diversi generis, sic frigus non  
potest calefacere, ignis frigefacere, sed subsistentia abso-  
luta est in linea absoluta, & communicabili, subsisten-  
tia relativa est in linea relativa, & incommunicabili, ergo  
subsistentia absoluta non potest praestare effectum forma-  
lem subsistentiae relativae.

Dices subsistentia absoluta secundum se spectata non  
potest quidem reddere personas divinas incommunicabi-  
liter subsistentes, bene tamen ut connotat relationes.

Contra 1. Subsistentia absoluta ut connotat relatio-  
nes manet absoluta, ergo non potest praestare effectum  
formalem formae relativae. 2. Quando subsistentia intelli-  
gitur constituere personas divinas, ut connotans relatio-

nes divinas, vel sumuntur relationes præcisè secundùm conceptum suum explicitum ad vel secundùm conceptum formæ Hypostaticæ: neutrum dici potest, ergo non primum, quia aliàs significatum formale personæ est relativum sub conceptu relatiui, quod tamen communiter falsum est: si secundum, ergo habemus intentum.

Obijcies i. Una existentia absoluta reddit omnes personas existentes, ergo etiam una subsistentia absoluta reddit illas subsistentes. & dist. Consequens reddet illas subsistentes subsistentiâ independentiæ tanquam à subjecto sustentante conc. Subsistentiâ incommunicabilitatis N. consequentiam.

Contra Personæ non solùm subsistunt, sed etiam existunt incommunicabiliter, & tamen non datur existentia relativa, ergo nec subsistentia. & i. N. ant. in hoc sensu quasi incommunicabilitas proveniret ab existentia: si tamen sensus est, quod quælibet persona, quæ incommunicabilis est, existat, sic admittitur antecedens: sed negatur consequentia, disparitas est. 1. Nam existentia non est formaliter constitutiva divinarum personarum, benè tamen subsistentia, unde ad multiplicationem personarum, oportet, ut multiplicentur, & subsistentiæ. 2. Existentia, & essentia, absque distinctione virtuali sibi identificantur, sic admissa multiplicitate existentiarum, deberet etiam admitti multiplicitas essentiæ. Consequenter plures Dij, quod audire aures tinniunt: veruntamen ex pluralitate

ralitate subsistentiarum relativarum hoc non sequitur,  
nam subsistentia relativa, & essentia ab invicem virtuali-  
ter distingvuntur, quia spectant ad diversas lineas: nec  
repugnat, sed docet fides dari tres personas substantivæ.

Instabis. Pater est misericors, Filius, & Spiritus san-  
ctus sunt misericordes, & tamen non dantur tres miseri-  
cordiæ, ergo licet Pater sit subsistens, Filius, & Spiritus  
sanctus sit subsistens, non tamen dantur tres subsistentiæ  
relativæ.

Confirmatur in linea misericordiæ non datur, nisi  
una misericordia, ergo etiam in linea subsistendi non est  
nisi una subsistentia. Item subsistentia Dei absoluta est  
infinita, & illimitata, ergo præcontinet omnem effectum  
cujuscunque subsistentiæ, proinde frustraneæ sunt subsi-  
stentiæ relativæ.

¶. Ad instantiam, quod linea misericordiæ sit atoma,  
minimè verò linea subsistendi, quæ subalterna est: ratio  
in promptu est, quia conceptus Misericordiæ consistit in  
indivisibili, quatenus est sublevatio miseriæ alienæ: ac  
conceptus subsistentiæ non consistit in indivisibili; nam  
subsistentia ut sic præscindit ab hoc, quod reddit subsiste-  
re per se perfeitate independentiæ, aut perfeitate incommu-  
nicabilitatis: primum convenit subsistentiæ absolutæ, se-  
cundum relativæ; & quamvis in creatis eadem subsisten-  
tia reddit naturam per se subsistentem perfeitate indepen-  
dentiæ, & simul perfeitate incommunicabilitatis, hoc ta-  
men

men provenit ex imperfectione naturæ creatæ, quæ ante personalitatem nec subsistens, nec existens est. Ad 2. admittitur subsistentiam absolutam esse infinitam in linea absoluta, ex quo sequitur, quod intra eandem lineam non possit dari alia subsistentia absoluta.

Obijcies 2. Eadem subsistentia absoluta per solam connotationem relationum potest naturam divinam reddere diversimode incomunicabilem, & constituere personas divinas: ergo frustra statuuntur subsistentiæ relativæ. Probatur ant. Natura divina per solam connotationem relationum, est principium productivum divinarum personarum. ergo à pari eadem subsistentia absoluta per solam connotationem relationum potest divinam naturam reddere incomunicabilem, & constituere personas divinas. Probatur consequentia: non enim videtur plus esse, constituere, quam producere personas, ergo si &c. **N.** consequentiam disparitas est. Ad productionem sufficit, quod producens realiter distingvatur à producto; hoc habet Pater v. g. respectu filij per connotationem Paternitatis, qua ipsi relativè opponitur; ut autem aliquid constituat personam non sufficit sola connotatio relationis, cum personæ realiter multiplicentur, etiam earum significatum, & constitutivum formale multiplicari debet. **2.** Applicando argumentum pro nobis. Pater v. g. non producit filium per solam connotationem Paternitatis secundum suum conceptum formalissimum ad sed sub ratione formæ Hypostaticæ spectatæ: ergo etiam sola subsisten-

sistentia absoluta non reddit personas subsistentes per con-  
notationem relationis secundum conceptum ad sed sub ra-  
tione formæ per se subsistentis.

Obijcies tertio Si darentur subsistentiæ relativæ , da-  
rentur non tantum tres, sed potius quatuor relationes,  
hoc non admittitur, ergo nec hoc, ex quo sequitur. Pro-  
batur Sequel. Dantur quatuor relationes, videlicet Paternitas,  
Filiatio, Spiratio activa, & Spiratio passiva, seu pro-  
cessio, sed ex concessis relatio est forma reddens subsistere,  
seu est subsistentia, ergo si &c. R. Spirationem activam non  
importare distinctam subsistentiam à Paternitate, & Filia-  
tione, cùm ab illis realiter non distinguatur.

Sed contra Spiratio activa realiter distinguitur à Spi-  
ratione passiva, seu processione, ergo habet propriam  
subsistentiam. Consequentia probatur. Id est Paternitas,  
& Filiatio habent proprias subsistentias, quia ab invicem  
realiter distingvuntur, ergo si &c. R. dist. consequens er-  
go habet propriam subsistentiam distinctam à subsistentia  
Paternitatis, & Filiationis N. indistinctam conc. conse-  
quentiam. Subsistentia Paternitatis potest dici propria  
Spirationis activæ, in quantum Paternitas, & Spiratio  
activa sunt realiter eadem entitas ; non verò propria,  
quasi esset realiter distincta à Paternitate, causalis admitti-  
tur, sed ad hoc ut Spiratio activa distinctam importet sub-  
sistentiam non sufficit quod realiter distingvatur à Spi-  
ratione passiva, sed insuper deberet etiam à Paternitate, &  
Filiatione distingui, quod tamen non est.

Contra

Contra Spiratio activa virtualiter distinguitur à Paternitate, & Filiatione, ergo habet subsistentiam relativam virtualiter distinctam. Consequentia probatur. Paternitas virtualiter distinguitur à natura, & secum fert suam subsistentiam relativam virtualiter distinctam, ergo si Spiratio activa &c. ex N. consequentiam. Nam de ratione subsistentiæ relativæ est facere rem subsistere prout à parte rei est realiter, non verò ut est virtualiter distincta, quia illam absolute, & realiter constituit incommunicabilem. Ex 2. Spiratio est quasi quid secundarium respectu Patris, & Filij, sic non est opus ut habeat propriam subsistentiam virtualiter distinctam, alias omnia attributa deberent habere propriam subsistentiam virtualiter distinctam à natura. Ad id, quod additur de Paternitate, ex id provenire ex eo, quod illa constitutat specialem personam, & est ratio primaria denominans illam. Spiratio nullatenus hoc præstat, sed juxta nostrum modum concipiendi intelligitur per rationem advenire personæ constitutæ.

## CONCLUSIO XIV.

Spiratio a Cœl Va tantVM Distinguuntur ratione, non  
Verò realiter à paternitate, & filiatione. \*

**P**robatur Conclusio. Si relatio Spirationis realiter distinguueretur à Paternitate, & Filiatione, sequitur dari in divinis quatuor personas, sed hoc repugnat fidei,  
Conci-

Concilijs, & SS. PP. ergo. Sequel. probatur. Personam  
nihil aliud importat, quam naturam, & subsistentiam rela-  
tivam, sed si Spiratio activa realiter distingueretur impor-  
taret subsistentiam, & naturam, ergo.

Confirmatur si Spiratio realiter distingueretur a Pa-  
ternitate, & Filiatione, Spiratio, Paternitas, & filiatio essent  
plures res: nam distinctio realis non est nisi inter rem, & rem,  
sed nequeunt esse plures res, alias essent plures personae  
quam tres: probatur. Res importat formaliter loquendo  
subjectum, & formam, ergo essent plura subjecta, &  
supposita. Consequenter plures personae & res.

Probatur 2. Si Spiratio realiter distinguitur a Paterni-  
tate, & Filiatione destruitur commune Theologorum, &  
Conciliorum adagium dicentium, quod in divinis nihil  
realiter distinguatur, nisi ubi obviat relationis oppositio,  
sed inter Spirationem activam ex una parte, & Paterni-  
tatem, & Filiationem haec non obviat, ergo.

Obijcies Pater per Spirationem, non vero per Paterni-  
tatem realiter distinguitur a Spiritu sancto, ergo Spiratio  
realiter distinguitur a Paternitate. Consequentia proba-  
tur, quando sunt aliqua realiter idem, & si res per unum  
realiter distinguitur, debet & distingui per aliud cum illo  
identificatum, ergo si Pater solum per Spirationem distin-  
guitur a Spiritu sancto, Spiratio realiter distinguitur a Pa-  
ternitate. Ant. vero probatur. Pater per id distinguitur a  
Spiritu sancto per quod illi relativè opponitur, sed illi non

N

oppo-

opponitur per Paternitatem, ergo, p. dist. maiorem per quod illi relativè opponitur, vel mediatè vel immediate conc. semper immediate N. maiorem, sed illi non opponitur per Paternitatem directè, & immediate conc. indirectè & mediata N. minorem, & conseq. Pater opponitur per paternitatem Spiritui sancto mediata, quatenus Paternitas est radix Spirationis: 2. quatenus est proprietas constitutiva personæ oppositæ. p. 2. Conc. ant. N. consequentiam. ad probam dico: quæ sunt realiter idem, si unum distinguitur, debet & alterum distingui cum priori realiter identificatum, hoc verum est, si intelligatur, quod debet distingui secundum aliquam, non verò secundum omnem formalitatem.

Contra. Paternitas est per ordinem ad filium, ergo nec mediata ad Spiritum Sanctum. p. dist. ant. Paternitas secundum omnem suam virtualitatem est per ordinem ad Filium N. secundum aliquam conc. ant. Paternitas, & Spiratio activa sunt realiter eadem, tamen virtualiter distincta entitas: quatenus est in ordine ad genitum non respicit Spiritum sanctum, quatenus verò intelligitur ut radicans spirationem activam, mediata referatur ad Spiritum sanctum.

Contra D. Thomas q. 23. art. 3. ad 3. Negat. Paternitatem, & Spirationem posse de se invicem prædicari, sed si essent realiter idem possent de se invicem prædicari, ergo p. D. Thomam negare Paternitatem, & Spirationem posse

posse de se invicem prædicari prædicatione formali, non  
verò negat, posse de se invicem prædicari prædicatione  
identica: sic in sensu identico possum dicere misericordia  
est justitia: non tamen possum dicere in sensu formalis: at-  
tributum misericordiæ, est attributum justitiae: quia sic  
jam sumuntur secundum suum formale; & explicitum:  
ita conformiter discurrendum est de Paternitate, & Spi-  
ratione.

Instabis Paternitas, & Spiratio quasi specie distin-  
gvuntur, quia terminantur ad terminos specie distinctos,  
qui sunt Filiatio, & Processio, ergo debent realiter distin-  
gui. Consequentia probatur. distinctio specifica præsup-  
ponit numericam, ut videre est in creatis, quæ enim spe-  
cie distingvuntur, etiam numero secreta sunt.

Confirmatur 1. Ita videntur ad invicem se habere ge-  
nerare, & spirare, sicut se habent generari. & spirari, sed  
generari & spirari distingvuntur realiter, ergo & genera-  
re, & spirare.

Confirmatur 2. Relatio Spirationis non est relatio Pa-  
ternitatis, ergo etiam entitas Paternitatis, non est entitas  
Spirationis, consequentia probatur, relationes sunt ali-  
quæ entitates, ergo si &c.

Confirmatur 3. Definitio Paternitatis, & Filiationis  
essentialiter distingvuntur, ergo & definita.

R. Ad instantiam conc. ant. & N. consequentiam ad  
probam dist. ant. distinctio specifica præsupponit nume-  
ricam

ricam vel realem, vel virtualem conc. semper realem N. ant, solum infertur Paternitatem, & Spirationem virtua-  
liter distingui.

Dices contra hoc, in creatis nequit haberi distinctio  
specifica sine reali numerica, ergo etiam in divinis. **R.**  
Assignando desparitatem: quia nempe in creatis distin-  
ctio provenit ex limitatione, in divinis vero ex summa  
eminentia: unde eadem realiter entitas relationis divinæ  
potest terminari ad terminos realiter distinctos.

**A**d 1. Confirmationem **R.** transmissa majore N. con-  
sequentiam, disparitas est, quia una persona potest habé-  
re actiones quasi specie distinctas: sic potest convenire  
Patri generare, & spirare sine distinctione reali: at vero  
duæ processiones non possunt terminari ad eundem nu-  
mero terminum, præprimis, si inter illa est ratio originis:  
unde generari, & spirari debent realiter distingui.

**A**d 2. **R.** Relationes sunt aliquæ entitates vel realiter,  
vel virtualiter distinctæ conc. semper realiter N. ant, illæ  
relationes sunt entitates ab invicem realiter distinctæ, in-  
ter quas reperitur relationis oppositio, cùm ergo hæc non  
sit inter Paternitatem, & Spirationem activam, non di-  
stinguuntur realiter; sicut quia Paternitas non opponitur  
relativè essentiæ, idèò ab illa solum virtualiter distinguitur.

**A**d 3. **R.** dist. ant. definitio adæquata Paternitatis, &  
Filiationis essentialiter distinguitur N. definitio inadæ-  
quata conc. ant. Definitio Paternitatis, & Filiationis est  
**desi-**

definitio ejusdem entitatis secundum diversas formalitates: sicut dictum est in Philosophia de definitione animalis, & rationalis.

## CONCLUSIO XV.

¶ LIVs sVb ratione Verbi repræsentatiVI per se pro-  
CeDlt e notitia possibilium. \*

**P**robatur: Verbum per se procedit ex cognitione eorum, quæ in signo priori ad productionem verbi in essentia Patris repræsentantur, sed repræsentantur creaturæ possibiles, ergo. Minor probatur, omnia essentialia in signo priori ad productionem verbi repræsentantur in essentia Patris, sed cognitio, & repræsentatio creaturarum est essentialis, ergo. Minor patet, quia est communis toti Trinitati, & habetur antecedenter ad decretum. Major etiam indubia est, nam essentialia sunt priora notionalibus. Si dicis: Essentialia præcedere notionalia, si essentialia absolutè, seu ad intra, non verò si considerentur ad extra. Non inquam valet; sive essentialia considerentur ad intra, sive ad extra semper sunt essentialia, consequenter pro omni signo debent convenire Patri. Item posset dici, quod misericordia, omnipotentia &c. & alia attributa respectiva pro illo priori ad productionem verbi Patri non convenient, quia misericordia, omnipotentia sunt essentialiter per ordinem ad extra, ergo si essentialia per ordi-

ordinem ad extra non sunt priora notionalibus, misericordia Patri formaliter non competeteret.

Confirmatur: Omnis perfectio realis debet Patri convenire in signo illo priori ad verbum, sed repræsentare creaturas possibiles est perfectio realis, ergo hoc debet illi competere. Minor probatur: producere aliquid producibile est perfectio realis, ergo etiam repræsentare aliquid repræsentabile est perfectio realis, sed creaturæ possibiles sunt repræsentabiles, ergo.

Si dicis: pro illo priori ad productionem verbi creaturæ possibiles non sunt repræsentabiles, quia tunc non sunt, habent enim suam possibilitatem saltem physicam, id est quod possint produci à verbo. ↗ Verum esse in illo signo non esse creaturas possibiles secundūm suam possibilitatem exercitè tales, quatenus possunt habere per verbum suam actualitatem. Sunt tamen ibi secundūm suam possibilitatem signatè tales, id est quatenus non dicunt repugnantiam ad existendum, & hoc modo sunt repræsentabiles.

Probatur 2. Verbum debet procedere ex cognitione perfectissima, & comprehensiva Patris, sed hæc haberi non potest sine cognitione creaturarum possibilium, ergo. minor probatur, in tantum cognitio Patris est comprehensiva, in quantum attingit essentiam suam secundūm omnem modum, quo cognoscibilis est, sed illam taliter attingere non potest sine cognitione creaturarum. Major supponitur, nam per hoc cognitio comprehensiva distingui-

guitur ab intuitiva. quod prima attingat in subjecto omnia, quæ formaliter & virtualiter, secundà verò solùm attingere petat, quæ formaliter, vel etiam nonnulla, quæ eminenter, aut virtualiter continentur. Minor probatur. Essentia divina non potest attingi ab intellectu divino secundum omnem modum, quo cognoscibilis est, nisi attingatur ut diversimodè imitabilis à creaturis, sed hoc modo attingi non potest, nisi cognoscantur creaturæ, à quibus diversimodè imitabilis, & participabilis est, ergo.

Obijcies Creaturæ possibiles non possunt concurrere ad productionem verbi, ergo verbum non procedit ex cognitione creaturarum possibilium. Ant. probatur: creaturæ possibiles sunt mera non repugnantia ad existendum, sed mera non repugnantia nequit concurrere ad productionem verbi, ergo. minor probatur: mera non repugnantia est quid negativum, imd est nihil, sed negativum, & nihil ad productionem verbi concurrere nequit, ergo. R. N. ant. ad probam distinguo minorem, sed mera non repugnantia nequit concurrere ad productionem verbis effectivè conc. objectivè substinguo per modum objecti. Eti motivi conc. per modum objecti secundarij N. minorem. Quando dicitur, creaturæ possibiles sunt nihil. R. sunt nihil positivè & signatè N. sunt nihil exercitè conc. Nihilum positivè non dicit aptitudinem ad existendum, qualem dicunt creaturæ possibiles, sunt tamen nihil exercitè: quia nullam actualitatem important.

Con-

Contra Creaturæ possibiles sunt minùs necessariæ, quām verbum divinum, sed minùs necessarium non potest concurrere ad productionem magis necessarij etiam objectivè, ergo creaturæ possibiles, non concurrunt ad productionem verbi objectivè. Minor probatur, quia necessitas creaturarum possibilium est necessitas creata, utpote necessitas creaturæ, & necessitas verbi divini est increata, utpote Dei. Tum creaturæ possibiles sunt necessariæ solum sub ratione possibilis; verbum autem est necessarium etiam quoad esse actuale. Minor probatur. Si minùs necessarium posset concurrere ad productionem magis necessarij, jam illud non esset magis necessarium, quia à minus necessario dependeret. Tum quia sicut necessarium non potest per se connecticūm contingentī, aliás non esset necessarium simpliciter: ita magis necessarium non potest per se connecticūm minus necessario, aliás hōc non existente illud etiam non existeret, & ita non faret magis, & simpliciter necessarium. **R. 1.** N. Creaturas esse minùs necessarias, quām verbum divinum. Ad probam fateor: Necessitatem creaturam possibilium esse necessitatem creaturæ non qualiscunque sed possibilis; at tamen nego eorundem necessitatem esse creatam, sed præscindere à creata, & increata. Neque obest dicere: omnis necessitas debet esse creata vel increata, cūm extra creatum, & increatum nihil sit. **R.** Necessitas alicujus positividebet esse vel creata, vel increata, non tamen talis debet esse necessitas alicujus non positivi, sed merè non repu-

repugnantis, qualiter sunt creaturæ possibiles necessariæ.  
Quod verò necessitas creaturarum possibilium sit tanta,  
quanta ipsiusmet verbi divini colligitur ex eo, quia sub-  
latis creaturis possibilibus necessariò Deus per locum in-  
trinsecum mutaretur, non quasi aliquod prædicatum in-  
trinsecum directè, & per se cessaret, sed quia ad cessationem  
earum omnipotentia, vel essentia divina non esset amplius  
imitabilis à creaturis, consequenter desineret esse Deus, vel  
salem non esset ita perfectus, qualiter erat respiciendo  
creaturas possibiles. Ex hoc tamen non debet inferri,  
quasi Deus dependeret à creaturis, sed tantum quod ne-  
cessariò cum illis connectatur. Unde si lapis desineret esse  
possibilis, desineret etiam ab intrinseco in Deo potentia  
factiva lapidis.

R. 2. Creaturas possibiles esse minus necessarias, quam  
Deum necessitate intrinseca: conc. extrinseca N. quia ex  
carentia creaturarum possibilium cessaret in Deo aliqua  
perfectio intrinseca: non quasi cessaret aliquid intrinsecum  
per modum constitutivi Dei omnipotentiæ, sed tantum ce-  
ssaret aliquid intrinsecè contentum, quod tamen extra  
Deum potuisset esse.

Obijcies 2. Verbum procedit ex cognitione compre-  
hensiva omnipotentiæ, sed cognitio creaturarum possibi-  
lium non pertinet ad cognitionem comprehensivam om-  
nipotentiæ, ergo. minor prob. omnipotentia potest com-  
prehensivè cognosci, quin cognoscantur creaturæ pos-  
sibiles

sibiles. ergo. ant. probatur, quæ sunt diversarum linearum, possunt seorsim comprehensivè cognosci, ut videre est in quā plurimis exemplis, sed omnipotentia, & creaturæ possibles sunt diversarum linearum, ergo. R. dist. ultimam majorem, quæ sunt diversarum linearum, possunt seorsim comprehensivè cognosci, si non sunt ad invicem essentialiter connexa conc. majorem, si sunt connexa N. majorem.

Contra, quæ sunt diversarum linearum non sunt ad invicem essentialiter connexa, ergo si omnipotentia, & creaturæ possibles sunt diversarum linearum non sunt ad invicem connexa. ant. probatur illa quæ sunt diversarum linearum, sunt in sua linea absoluta, & completa, sed quæ sunt absoluta, & completa non sunt ad invicem essentialiter connexa, sic quia homo, & Angelus in sua linea sunt completi, non connectuntur essentialiter ad invicem, ergo. R. N ant. ad probam dist. minorem, non sunt ad invicem essentialiter connexa ratione subordinationis transeat, ratione alterius N. antecedens. Sic potest contingere, quod una linea possit se habere respectu aliquius alterius lineæ per modum objecti, sicut se habent creaturæ possibles respectu omnipotentiae. Unde non idem homo, & Angelus non connectuntur, quia sunt absolute diversarum linearum, sed insuper, quia ad invicem nullam causalitatem exercent nec objectivam, nec quamcunque aliam.

Instabis: In tantum cognitio creaturarum possibili-  
um

um ad cognitionem comprehensivam omnipotentiæ pertineret, quia cognitio comprehensiva debet terminari ad omnia, quæ in objecto reperiuntur sive formaliter, sive eminenter, sed licet non cognoscantur omnia, quæ in objecto sunt eminenter, tamen erit cognitio comprehensiva: ergo minor probatur. Sicut creaturæ possibles continentur eminenter in omnipotentia divina, ita continentur creaturæ futuræ, sed cognitio, quæ verbum procedit, est comprehensiva etsi non cognoscat futura, ergo. *¶* di-  
sparitas est: quia in illo signo, quo intelligitur verbum procedere, nondum sunt creaturæ actuales formaliter, cum hæc suam actualitatem habeant à decreto Dei libero, quod est posterius productione personarū. At in illo signo jam sunt creaturæ possibles, cum sint quid necessarium, quod independens est à decreto Dei libero, & ita sine illarum cognitione cognitio Patris non esset comprehensiva.

Urgebis Cognitio Patris est comprehensiva sine cognitione futurorum, ergo etiam possibilium, consequentia probatur. Id est cognitio Patris est comprehensiva sine cognitione futurorum, quia in illo signo, quando est cognitio Patris, necdum sunt formaliter futura, sed etiam in illo signo, quando cognitio Patris terminatur ad essentiam tanquam objectum motivum non sunt creaturæ possibles saltem in esse cogniti. *¶* ad ultimam minorem, quod hæc prioritas, quæ intercedit inter essentiam, & creaturas possibles saltem in esse cogniti non sit prioritas

naturæ à quo, sed est tantum prioritas rationis cuiusdam inadæquatæ respectu ejusdem terminationis.

Dices: admitto, quod in illo signo priori ad productionem verbi sint creaturæ possibles, sed nego, eorundem cognitionem per se concurrere ad productionem verbi, sed concurrere ad summum purè materialiter, ergo. Anteced. probatur. quod per se concurrit ad productionem verbi, verbum debet esse formalis similitudo illius, sed verbum divinum non est formalis similitudo creaturarum, ergo. 2. Quod per se concurrit, ratione sui concurrit, sed creaturæ possibles tanquam objectum secundarium non ratione sui, sed ratione essentiæ, in qua cognoscuntur, concurrunt ad processionem verbi. ergo. 3. Alter debet ad productionem verbi concurrere essentia, & iterum alter, creaturæ possibles, illa concurrit per se, ergo istæ per accidens, & purè materialiter. 4. Quod per se concurrit ad productionem verbi tanquam in se ipso primariò cognitum, verbum debet esse formalis similitudo illius, conc. quod per se concurrit ad productionem verbi tanquam in alio, & secundariò cognitum, verbum debet esse formalis similitudo illius, N. minorem, & consequentiam. Ad 2. dico, quod per se primariò concurrit ratione sui concurrit, conc. quod per se secundariò concurrit, ratione sui concurrit N. majorem. Ad 3 dico inter concursum essentiæ, & creaturarum esse diversitatem, quod essentia divina per se primariò & in se ipsa cognita con-

concurrat, creaturæ autem per seitate secundaria, & in  
essentia cognitæ concurrunt ad productionem verbi.

## CONCLUSIO XVI.

Si tertha persona, hoc est Spiritus Sanctus non originaretur,  
nec procederet a Filio, nullum partem realiter  
distingueretur ab illo. \*

**P**robatur: Illa in divinis distinguntur realiter, inter  
quæ obviat relationis oppositio, sed si Spiritus sanctus non procederet a Filio, inter illos non obviaret rela-  
tionis oppositio, ergo minor probatur, quia relationis  
oppositio fundatur in origine unius personæ ab alia. Ma-  
jor, in qua tota difficultas est, etiam probatur. 1. Est enim  
commune Theologorum axioma in Concilijs, & SS.PP.  
fundatum. 2. Distinctio realis non potest in Deo proveni-  
re ex absolutis, cum sint omnibus personis communia,  
& quid unum: ergo ex relationis oppositione. 3. Distin-  
ctio realis provenit vel ex naturali divisione, aut etiam ex  
limitatione, atque ex primo capite non potest provenire  
distinctio realis, cum in illo nulla materia, aut potentiali-  
tas sit: nec ex secundo, nam in divinis omnia sunt illimi-  
tata, utpote infinita. ergo.

Respondent nonnulli concedendo, quod defacto in  
divinis distinctio realis proveniat ex relationis oppositio-  
ne, non tamen proveniret in facta suppositione. 2. Quan-  
do

do Concili⁹ dicunt, in Deo esse omnia unum, nisi ubi ob-  
viat relationis oppositio: non accipiunt relationis opposi-  
tionem determinatè pro oppositione relativa, sed præ-  
scindunt à relatione opposita, & disparata.

Sed contra: Nam non est ratio, quare defacto relati-  
va oppositio pariat in Deo distinctionem realem, & illam  
non causaret in suppositione facta. 2. Falsum est quod SS.  
PP. per relationis oppositionem intelligent, aut compre-  
hendant relationem disparatam: quia debuissent saltem in  
uno textu de ea mentionem fecisse, quæ tamen nullibi  
legitur.

Probatur 2. Infringendo Fundamentum Scotistarum.  
In tantum Spiritus sanctus realiter distingueretur à Filio,  
in quantum inter illos intercederet relatio disparata, sed  
hæc relatio non sufficit ad distinctionem realem, ergo.  
Major est adverbariorum. Minor probatur. Misericordia,  
& justitia, item Spiratio activa & Paternitas se disparatè  
habent, & tamen non distinguuntur realiter. 2. Impos-  
sibilius est in uno supposito esse plures causationes acti-  
vas, quam in uno effectu esse plures causationes passivas:  
& tamen plures causationes disparatæ non multiplicant  
realiter supposita, ergo nec pariū. Major patet, nam  
unus homo habet relationem causati ad suam materiam,  
& ad suam formam: & tamen una materia signata unā  
formā non potest habere relationem causantis ad plures  
homines, ergo. 3. Idem homo dicit relationem creati ad  
Deum creantem, & relationem geniti ad hominem ge-  
neran-

nerantem, quæ sunt relationes disparatæ, quin à se ipso realiter distinguitur: ergo relatio disparata non sufficit ad distinctionem realem, consequenter ratio Spirati, & geniti in facta Hypothesi, sunt realiter idem.

Probatur 3. Infringendo aliud fundamentum. In tantum Spiritus sanctus distingueretur à Filio, quia ratio formalis reperta in Spiritu sancto, non esset ratio formalis reperta in Filio: sed ex hac diversitate nequeunt ab invicem realiter distingui, ergo minor probatur: Ratio formalis reperta in Spiritu sancto est Spiratio: nunc ergo, vel hæc distingueret secundum esse, aut secundum quidditatem, non secundum esse, quia sic transit in essentiam, ergo secundum quidditatem, sed secundum illam respicit tantum oppositum, ergo tantum distinguit ab opposito, sed si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non haberet relationes oppositas, ergo.

Confirmatur. Relationes in sententia Scotistarum distinguunt secundum suum esse formale, sed ratio formalis relationis est esse ad aliud, ergo ex oppositione, quæ tamen in data Hypothesi non daretur inter Filium, & Spiritum sanctum, consequenter nec distinctio.

Obijcies. Si Spiritus sanctus non procederet à Filio adhuc haberet suum constitutivum formale distinctum à constitutivo formalis Filii, ergo distingueretur realiter ab illo. Consequentia patet, idem est enim constitutivum, & distinctivum, Ant. probatur Spiritus sanctus constitue-

tueretur per relationem Spirationis, & Filius pér relationem Filiationis, ergo.

Confirmatur quælibet res realiter distinguitur ab alio per suam differentiam individualem, atqui in data Hypothesi Spiritus sanctus haberet suam differentiam individualem, seu personalem, ergo. Præterea Spiritus sanctus esset quid unum, ergo divisus ab omni alio : Item esset ultimus terminus actionis Spirativæ, sed unus ultimus terminus nequit esse realiter idem cum alio ultimo termino, qualis etiam esset Filiatio, ergo.

¶. Ad objectionem si Spiritus sanctus &c. distinctum à constitutivo formalí adæquato Filij, N. à constitutivo formalí inadæquato Filij conc. ant. formale constitutivum Filij Dei est filiatio non præcisè, sed ut exigit vim spirandi, supposito autem, quod Spiritus sanctus non procederet à Filio, illam non exigeret, sic nec Spiritum sanctum à Filio distingueret.

Contra Spiratio activa seu vis spirandi nihil conduit ad esse personale Filij, ergo quantumvis Filius in facta Hypothesi non diceret vim spirandi, adhuc distingueretur à Spiritu S. ant. prob. Spiratio activa præsupponit personam Filij constitutam : & si per impossibile non spirasset, adhuc secunda Persona mansisset Filius. tum quia Pater constituitur in esse Personalí per Paternitatem, & non per Spirationem activam, quæ est quasi extrinseca Patri in ratione Patris. ergo. ¶. Quod Spiratio activa formaliter spectata præsupponat personam Filij constitutam, non tamen

tamen præsupponit illam constitutam, si radicaliter spe-  
ctetur, sic est ipsa Filiatio; proinde si Filius per impossibili-  
bile non habuisset vim spirandi, mansisset Filius, sed non  
secundum omnem perfectionem, quâ nunc est: & non  
foret in ipso principium, quô distingueretur à Spiritu san-  
cto. Eodem modo discurrendum est de persona Pa-  
tris, hæc enim constituitur per Paternitatem: &  
non per Spirationem activam formaliter spectatam  
conc. sic enim solum ipsum constituit in esse Spiratoris, &  
non per Spirationem activam radicaliter spectatam N. ta-  
liter est ipsa Paternitas cum vi spirandi.

Ad confirmationem p. N. minorem, si intelligatur  
de differentia personali distincta à differentia personali Fi-  
lij: Quia sicut Paternitas, & Spiratio activa defacto non  
constituunt duas differentias personales, idque non ob  
aliam rationem, nisi quia sibi ad invicem non opponun-  
tur, sic etiam Spiratio passiva, & Filiatio non constitue-  
rent duas personas, quia ad invicem non opponerentur.  
Nisi tamen velis admittere minorem de differentia perso-  
li virtualiter distincta à differentia Filij, & in hoc sensu ve-  
ra est minor. Ad subiectum dico Spiritum sanctum fo-  
re quid unum unitate quadam virtuali, sic etiam ratione  
sui solum virtualiter distinctus à Filio, ab alijs vero realiter.  
Ad ultimum in confirmatione positum dico in Hypothesi  
Filium, & Spiritum sanctum esse duos ultimos terminos  
per solam distinctionem virtualem: & ita nequeunt esse  
virtualiter, bene vero realiter unum.

Obijcies? In illa Hypothesi Filius procederet per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem, ergo cum intellectus sit naturâ prior voluntate, etiam terminus processionis per intellectum debet esse prior naturâ termino processionis per voluntatem, ergo Spiritus sanctus non potest esse realiter Filius. Consequentia probatur: terminata realiter actione, realiter terminatur terminus talis actionis, sed processio per intellectum prius intelligitur realiter terminata, quam processio per voluntatem, ergo cum Filius sit terminus processionis per intellectum, prius est realiter, quam Spiritus sanctus, qui est terminus processionis per voluntatem, consequenter est etiam ab ipso realiter distinctus. R. N. consequentiam. ad probam dist. Majorem terminata realiter actione adæquata, realiter terminatur terminus talis actionis conc. terminata realiter actione inadæquata, realiter terminatur terminus talis actionis N. majorem: sed processio per intellectum prius intelligitur realiter terminata inadæquate conc. adæquate N. minorem. & consequentiam. Tunc processio per intellectum, & voluntatem esset realiter una processio, & ad summum per intellectum Filius supponeretur adæquate productus virtualiter.

Dices Petendo rationem, quare Filius per intellectum non esset adæquate realiter productus, sed tantum virtualiter? R. quia actio terminatur ad comunicandam rei existentiâ, quam posicâ intelligitur terminus adæquate productus, sed

sed Filius in data suppositione non prius realiter recipere  
existentiam per suam processionem, quam Spiritus san-  
ctus, quia existentiam recipit tota rei entitas, Filius autem  
non esset ex se tota entitas, sed esset talis una cum Spiritu  
sancto, cum inter illos non obviaret relationis oppositio,  
a qua in divinis omnis realis distinctio provenit.

Contra. Si per impossibile Pater æternus duos Filios  
genuisset, illi realiter ab invicem distinguerentur, & ta-  
men unus non procederet ab alio, ergo pariter Spiritus  
S. realiter distingueretur a filio, quamvis ab illo non pro-  
cederet. Ant. videtur certum, nam duæ Filiationes sunt  
incompossibilis in eodem supposito, prout patet in crea-  
tis, sicut unus Filius non potest esse a duobus Patribus, sic  
nec ab eodem Patre duo Filii in identitate suppositi. Item  
si per impossibile Pater duos filios genuisset, & unum spi-  
rasset Spiritum sanctum, tunc hic necessariò deberet ab  
uno ex his duobus realiter distingui: quia non posset esse  
idem cum utroque, alias sicut essent duo filii realiter di-  
stincti, sic etiam essent duo Spiritus sancti: & sic destrue-  
retur suppositio, quâ ponimus unam processionem.  
Tandem detur Hypothesis quod Spiritus sanctus non pro-  
cedat a Filio, & quod ex post desinat Filius, tunc non de-  
sineret Spiritus sanctus, quia adhuc actio spirativa & con-  
servativa Spiritus sancti non destrueretur; quæ supradi-  
etasunt signa, quod Spiritus sanctus realiter distingue-  
retur a Spiritu sancto. R. quod in data Hypothesi illi duo

Filiij realiter distinguerentur non ob aliam rationem, quam  
quod duæ denominationes primariæ, & ejusdem ratio-  
nis, quales sunt duæ Filiationes non possunt denominare  
idem subjectum: at vero denominatio geniti & spirati,  
quamvis sit quælibet aliqua denominatio primaria, ta-  
men est diversæ rationis, unde idem subjectum secun-  
dum diversam rationem denominare possunt. Ad 2. q. in  
casu Spiritum sanctum fore solummodo virtualiter distin-  
ctum ab utroque: nec refert, quod uterque Filius reali-  
ter distingueretur: nam etiam modò Paternitas, & Filia-  
tio realiter distinguuntur, & tamen Spiratio activa solum  
virtualiter distinguitur ab amabus; Et quamvis esset una  
processio per voluntatem, per hoc tamen non tollitur,  
quod nequeat esse realiter idem cum utraque, nam etiam  
una tantum est vis spirativa, quæ nihilominus à duabus  
relationibus Paternitate scilicet, & Filiatione virtualiter  
distinguitur. Ad 3. dico in tali Hypothesi desinente Filio  
desineret entitativè Spiritus sanctus: quia ex consequen-  
ti deberet necessariò actio spirativa, & conservativa Spi-  
ritus sancti desinere, cum sicut principia earum intelle-  
ctus, & voluntas sunt realiter idem, sic actio quæ est per  
intellectum, realiter idem cum actione per voluntatem,  
quæ ad cessationem actionis intellectivæ cessare deberet.

PRO

# PROLOGIUM

## In TRACTATUM

de

### PROVIDENTIA SUPERNATURALI, SEU PRÆDESTINATIONE.

**I**Nextricabilem ingreditur labyrinthum, quis quis ineffabile prædestinationis, & reprobationis Mysterium rimari contendit. Neque evadere poterit, nisi Deus Ariadnæum filum ad eluctandum porrexerit: cuius optimè conscius gentium Apołtolus à longè intuebatur divinæ ordinationis secretum, & ubi sensit mentis aciem hebetescere, ocyus cæcutientes oculos retrahens exclamavit. O Altitudo divitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei, quā in incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus; Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Profectò in contemplando hocce divinæ voluntatis Arcano naturæ franguntur vires, quia justissimum Dei tribunal tulit sententiam pro gloria sua, quod sibi soli pateat vita, & interitus omnium, quos ipse solus è nihilo effinxit. Inde horrendum est cogitare, quæ Deus cogitat: aut scrutari, quod in Sacratissimo Dei Scrutinio decisum est, cùm persæpè humana sapientia in scrutando deficiat; sicquē aut in effrænatam vivendi licentiam prorumpit, aut prorsus præceps in desperationis cadit abyssum. Quapropter desinat humana industria di-

vinæ

vinæ voluntatis curiosius indagare ordinationem, sed pro Reverentia Altissimi Judicij adoret sententiam; unum tamen commendo, quod quilibet amare, & timere non definat, & in tremore suam operetur salutem, nec quidquam agat, quod ad consequendam felicitatem præcludat aditum: tunc, si quis in finem perseveraverit, salvus erit. Jam verò quod multi in libro vitæ non sint scripti, nemo divinam justitiam inculet, eò quod gratia vita æterna: & cuius vult ( teste Apostolo ) miseretur, & quem vult indurat, & ut luti figulus potestatem habet eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Proinde Te rogo Deus ter opt. max. ut me, qui protenuitate mea de Prædestinatione, ratione disputo, re, & opere inter prædestinatos numerare milearisi.

## Elenchus Hæreticorum malè de Prædestinatione Sentientium.

**I**ovinianus, quidam dives, sed indoctus Monachus, postea Clericus factus omnia peccata more stoicorum paria esse dicit; quod qui Baptismum plena fide suscepit, talem non posse amplius peccare, aut à diabolo subverti, aut tandem damnari.

Pelagiani ( à Pelagio cognomento Britone anno Christi 414. dicti, qui Honorij, & Theodosij anno quinto Monachus factus à Catholicis defecit ) docent: naturæ tantam esse libertatem, ut per solum liberum Arbitrium possit assequi Regnum

gnum Dei, Dei gratiam ad liberum arbitrium refert. Deum tantum illos prædestinasse, quos dignos futuros, & bene morituros cognovit: Electorum numerum augeri, minui posse: Electos carere peccatō, nec posse peccare, eis i velint. Hujus errores S. P. Augustinus, & Alipius confutarunt.

Prædestinati, sic dicti, quia dictabant, nec piè viventibus bona opera ad salutem, nec impijs mala ad interitum conferre, nisi prædestinati fuerint. Hic error cœpit anno Chri-  
sti 49. Honorio Imperatore quinto, & fuit baustus ex libris  
S. P. Augustini male intellectis.

Godescalcus Presbyter in diœcesi moguntiaca circa an-  
num domini 849. docebat, homines proorsus inevitabili lege,  
& necessitate providentiae divinæ sive inferis, sive superis de-  
stinati esse, unde de libero arbitrio, Prædestinatione male  
sensit. Moguntiæ in Synodo à Ludovico bojorum Rege con-  
vocata à Rabano convictus fuit.

Calvinus filius Gerardi Cauuini natus Novioduni in  
Picardia: ubi scapulas; & tergum virgis, & Cauterio ob  
probatae Sodomiæ crimen præbere debuit, postea ob alia sce-  
lera sua Patria porscriptus, deinde pediculari morbo con-  
sumptus inter blasphemias voces, quibus diei, quem unquam  
vel studijs, vel scriptionibus impendit, Deoque vero male-  
dixit, ac Dæmones invocavit, animam orcipotenti anno  
1576. commisit. Hic inter reliqua docuit: Deum esse omni-  
um scelerum Authorem primarium. Christum in cruce de-  
sperasse, & inferorum pœnas sustinuisse, vitæ licentiam, &  
sce-

scelerum inpuritatem profitetur: immutabili Dei decreto, alios ad vitam æternam, alios ad mortem, & interitum prædestinatos esse citra ullum ipsorum meritum: ex vi decreti divini omnia mala fieri: bona opera ad salutem necessaria non esse, sed sufficere solam fidem.

Antinomi statuunt, quod quæcunque tandem sit hominis vita, quantumvis impura, justificari, si modo promissionibus Ecclesiæ credit. Primus Sectator fuit Joannes Islebius agricola.

Ambsdorffiani, affirmant bona opera homini ad salutem esse pernitiosa.

Majoristæ negant, ullum hominem, etiam infantes justos fieri posse, aut unquam salvatos fuisse absque bonis operibus præcedentibus.

Huldricius Zwinglius Canonicus Ecclesiæ Constantiensis inter cætera affirmat, Numam, Catonem, Scipionem, & similes præstantes Ethnicos, qnamvis vera fide caruerint venturi Christi, salvos factos esse vi legis naturæ.

Theodorus Beza Burgundus ob fædos concubitus suppliciorum meturelicitis amplis beneficijs gallia profugit, Sectator Calvini cum alijs Posteris dicit. Deum potissimum creasse genus humanum ad perpetuam damnationem, & interitum: Deum creasse Adamum non modo ut interiret, sed quia illum ab æterno ad exitium prædestinasset, ideo illum necessariò peccare debuisse.

CON-

# CONCLUSIO XVII.

DeVs VVLt pro sVa Larga VoLVntate oMnes  
saLVos fieri. \*

**P**robatur. Christus pro omnibus mortuus est, ergo Deus vult omnes salvos fieri. ant. patet ex Apostolo dicente: Mediator Dei, & hominum Christus Jesus dedit semetipsum in redemptionem pro omnibus nobis. & alibi: Mortuus est pro salute totius mundi. Consequentia probatur: Passio Christi ordinata fuit ad acquirendum salutem deperditam omnibus, ergo si Christus pro omnibus mortuus est, Deus vult omnes salvos fieri.

Confirmatur. Deus voluit Adamum vera voluntate salvum fieri, ergo & vult, ut omnes homines salutem consequantur. Consequentia probatur, omnes homines viâ ordinariâ sunt in Adam inclusitam physicè, quâm moraliter, quia ab eo ut capite, & principio procedunt, quod ejus voluntate delinquentे deliquerunt omnes, ergo. Quod roboratur, hoc ipso quod Deus Adamo dederit justitiam originalem, voluit & illam dare suis posteris, si perfisteret in ea, ergo eadem ratione quia Deus voluit Adamo vera voluntate salutem, voluit, ut & posteri salvi fiant.

Dices: concedendo: Deum velle omnes homines salvos fieri, sed non aliqua voluntate positiva, reali, & formalí, sed tantum voluntate aliqua signi, quæ dicitur voluntas metaphoricè talis, & consistit in hoc, quod foret

Q

Deo

Deo gratum, si omnes salvi fierent; non verò quasi actu  
positivo vellet salutem omnium: & in hoc sensu promul-  
gatio, leges, Redemptio facta per Christum dicuntur vo-  
luntas Dei, prout sunt signa voluntatis divinæ. Contra  
Deus voluit Adamum vera, & positiva voluntate salvum  
fieri, ergo etiam vult omnes homines taliter salvos fieri:  
2. Voluntas Dei non est ficta, aut simulata, sed vera, &  
sincera, ergo si omnibus vult salutem, illam verè, & for-  
maliter vult. 3. Omnis actus voluntatis divinæ est forma-  
lis, sed velle salutem est actus voluntatis divinæ, ergo est  
formalis. 4. Salus hominum est formaliter amabilis, ergo  
Deus illam vult actu formali, & positivo.

Probatur secundò Deus omnes homines ordinavit  
ad vitam æternam, & statum supernaturalem, cùm nul-  
lus defectò sit in statu naturæ puræ conditus: sed hoc ip-  
so vult omnibus salutem vera, & positiva voluntate, er-  
go minor probatur, implicat, quod Deus ordinet ali-  
quem ad finem supernaturalem, & illi non velit saltem  
inefficaciter talem finem, cùm talis ordinatio, sit aliqua  
voluntas Dei, quæ versatur circa talem finem.

Obijcies si voluntas Dei salvandi omnes homines es-  
set formalis, & positiva, illa in omnibus adimpleretur, sed  
non adimpletur in omnibus, quia non omnes salvantur,  
ergo Deus non vult omnes salvos fieri vera, & formalis  
voluntate. R. dist. causalem minoris; non omnes salvantur  
ex defectu Dei volentis salutem, N. ex defectu homi-  
nis non volentis ponere ad salutem necessaria conc. cau-  
lem.

Con-

Contra voluntas Dei formalis, & positiva est efficax,  
sed voluntas, quâ Deus vult omnes salvos fieri, non est ef-  
ficax, ergo. minor probatur voluntas antecedens non est  
efficax, per hoc enim distinguitur à voluntate consequen-  
te, quod hæc sola sit efficax, sed voluntas, quâ Deus  
vult omnes salvos fieri est antecedens, ergo. **R.** dist. mi-  
norem sed voluntas, quâ Deus vult omnes salvos fieri non  
est efficax respectu obiecti voliti, scilicet beatitudinis conc.  
non est efficax respectu auxilium sufficientium **N.** mino-  
rem. Deus efficaciter dat omnibus sine exceptione auxilia  
sufficientia, quibus possunt salutem consequi, quamvis  
illam non omnes actu consequantur, quia auxilia suffi-  
cientia non sunt infallibiliter connexa cum salute.

Contra sed voluntas Dei, qua vult omnes homines  
salvos fieri, non est efficax respectu auxiliorum sufficien-  
tium, ergo **S. N.** probatur subs. si esset efficax respectu  
auxiliorum, deberet Deus dare omnibus auxilia suffici-  
entia, sed Deus non dat omnibus auxilia sufficientia, ergo  
minor patet imprimis in parvulis in uteris maternis morien-  
tibus, quibus nullâ humanâ industriâ succuri potest, sed ne-  
cessariò sine baptismo decedere debent, ergo **R.** Deum etiam  
parvulis in utero materno decedentibus propriè velle salu-  
tem, proindequè illis præparare auxilia sufficientia, quia  
Deus absolutè habet intentionem ipsos salvandi quantum  
in se est. Unde si aliquando contingit, quod ex occursum  
causarum naturalium, veletiam liberarum præmaturam

mortem inferentium, illa parvulis non applicentur, non provenit ex defectu Dei, quia quantum in se est, sincere cooperari vult, sed provenit ex causis naturalibus, & mere per accidens. Ex hoc tantum licet inferre, Deum non omnibus providisse media sufficientia proxime, non verò quod non providisset media remotè ad salutem conducentia.

Contra. Sed ad hoc ut Deus dicatur velle salutem omnibus parvulis, deberet ita præparare remedia, quod possent omnibus indis criminatim applicari, sed ea multis applicari non possunt, ergo minor probatur, si possent absolute applicari, possent applicari vel à ipsis, vel à Matre, aut Ministro Ecclesiæ, aut alijs, sed per se pè à nemine horum applicari possunt, et si omnes suam extremam industriam impendant, ergo R. dist. ult. minorem à nemine horum applicari possunt, & hoc est per accidens conc. per se N. minorem: per se, & ex natura sua omnes isti possunt applicare auxilia sufficientia parvulo in utero Matris decedenti, sed quod ea actu non applicent, per accidens est ratione alicujus causæ naturalis impedientis talem applicationem. Minime tamen dici potest, quod voluntas Dei antecedens circa salutem talium parvolorum non sit sincera, aut positiva, quia non impedit causas secundas talem applicationem impedientes: non inquam, quia Deus est provisor generalis, de cuius ratione est permittere motus causarum secundarum, quod majus bonum est, quam salus alicujus pueri. Si pius princeps absolute & for-

formaliter vult, ut vitia in suo regno non graventur, quamvis ob majus bonum non tollat omnes occasiones peccandi, ergo pariter Deus positivè vult inefficaciter saltem salutem omnium, et si non tollat omnes occasiones concursus causarum secundarum talam salutem impeditum.

Contra causæ secundæ non possunt impedire voluntatem Dei, ergo si Deus omnibus vult auxilia sufficientia ad salutem, posita quacunque causa naturali deberent posse applicari, sed hoc non est, ergo Deus non vult omnibus auxilia sufficientia ad salutem. **¶** Quid causæ secundæ non impedian directè, & ex vi sua naturali immediate voluntatem Dei etiam inefficacem, sed tantum indirectè ex voluntate Dei ut Provisoris generalis permittentis, & non impeditis earum motus naturales impeditivos, quo minus auxilia sufficientia alicui applicentur, Sicut quid Deus permittat fieri peccata, non potest inferri, quid nullum peccatorem velit salvum fieri, ita, quid permittat fluere motus naturales causarum, non potest dici, se non habere veram voluntatem salvandi omnes homines.

## CONCLUSIO XVIII.

**L**eCtlo aD gLorlaM est pVrè gratVta, & non fIt eX  
præVlsls operibVs. \*

**P**robatur ratione comuni Thomistarum. Quicunque  
ordinate vult, prius vult finem, quam media, sed  
Deus

Deus ordinatè vult, ergo priùs vult media, quàm finem, sed gloria obtinet rationem finis, merita rationem medij, ergo priùs vult gloriam, quàm media. Major in qua est difficultas, probatur. quia qui ordinatè vult, debet priùs intendere, quodd per se, & ratione sui est volibile, quàm quod est volibile ratione alterius, sed finis est per se volibilis, media verò per ordinem ad finem, quia ex se non sunt appetibilia nisi quatenus sunt utilia ad finē, ergo. tum quia omnis motio priùs est à fine, & à medijs solū secundariò. tum quia prior est cognitio finis, quàm mediorum: nam sicut ante finem formaliter media quà talia non sunt, sic nec ante cognitionem finis media qua talia non possunt cognosci. Tandem qui ordinatè vult, non invertit naturalem modum procedendi intellectus, & voluntatis, sed si Deus priùs vellet media quàm finem talem ordinem inverteret, ergo. minor probatur. Modus procedendi intellectus & voluntatis est iste? priùs est apprehensio, deinde simplex volitio, seu amor finis, deinde efficax volitio, seu intentio finis, hanc sequitur consultatio mediorum, istam consensus, pōst electio mediorum, tandem imperium, usus, & fruitio, ergo naturalis ordo inverteretur, quia electio mediorum anteveiteret electionem finis.

Dices: axioma istud, quicunque ordinatè vult, priùs vult finem, quàm media, subsistere, quando quis sibi ipsi intendit finem, non verò quando intendit finē alteri: cùm tunc finis non tam sit finis intendentis, quàm alterius. Sed con-

Contra sive finis sibi, sive alteri intendatur, semper ordinatè volens debet priùs velle finem, quām media: nam media idonea, & efficacia eligi non possunt, nisi priùs præcognoscatur, & intendatur finis, ad quem sunt talia media: alias eligeret media inefficacia, aut planè indifferētia ad quemcunque finem consequendum. Item medicus vult ægroto sanitatem, & tamen priùs intendit sanitatem, quām medicinam, cūm ex cognitione infirmitatis curandæ, & sanitatis introducendæ eligat & præscribat medicamenta.

Dices 2. admitto, quod qui alteri intendit finem, debet priùs intendere finem, quām media, sed id verum est de intentione inefficaci, non verò efficaci. Sic Deus vult inefficaciter gloriam, & tamen ratione hujus voluntatis inefficacis dat efficaciter illis media sufficientia, imò & efficacia, quibus ad tempus piè vivunt.

Contra effectus non potest in perfectione excedere suam causam, sed si ex inefficaci intentione finis procederet efficax volitio mediorum, jam effectus in perfectione excederet suam causam, ergo. minor probatur, quia electio mediorum est effectus finis in intentione, sicut finis in executione est effectus mediorum, ergo. Si electio mediorum esset efficax, non verò intentio finis, effectus in perfectione excederet suam causam: tūm paritate: ex præmissis probabilibus non potest sequi conclusio certa, & vicissim ex principijs certis, conclusio incerta, & probabi-

babilis, ergo etiam ex intentione inefficaci finis, non potest neque efficax electio mediorum. Tum aliter debent procedere a fine media efficacia, & iterum aliter ab eodem debent procedere media inefficacia, sed media inefficacia solum procedunt ex intentione finis inefficaciter voliti, ergo media efficacia ex intentione ejusdem efficaciter voliti. Nec urget paritas de reprobis: nam quamvis Deus ex simplici complacentia salutis, quam vult, det efficaciter media reprobis, quia tamen sunt sufficientia solum, & non infallibiliter connexa cum salute, voluntas dandi gloriam inefficax est, unde tamen efficaciter dupliciter spectari potest vel per ordinem ad Dei actum volentis media sufficientia, vel per ordinem ad finem intentum, id est salutem, primo modo vult Deus efficaciter, non verbo secundo modo; quod vero subinde tribuat auxilia efficacia, illa non proveniunt ex intentione inefficaci glorie, sed ex efficaci intentione primae gratiae justificantis.

Confirmantur omnia supradicta, Deus solo suo beneplacito & ex pura motione suae bonitatis determinavit v.g. Petrum ad esse rationale, quod habet, ergo ex solo eodem determinat ad esse supernaturale, quod est vita eterna. Item parvuli morientes post baptismum salvantur. non tamen ex praevisione meritorum, quia in eis nulla extiterunt. Itidem Deus hominem praedestinavit uniri divinitati, sed praedestinatio ad unionem facta est sine praeviosis meritis, ergo & praedestinatio ad gloriam.

Obij.

Obijcies. Deus intendit dare gloriam electus ut prae  
mium & coronam, ergo electio ad gloriam est ante prae-  
vila merita. Consequentia probatur, quia Rex intendit  
dare viro Equestri, v. g. vellus aureum tanquam praemi-  
um & coronam, illud non intendit nisi ex praevisis meri-  
tis, ergo quia Deus intendit dare gloriam electis ut prae  
mium & coronam, illam non intendit nisi ex praevisis me-  
ritis. Consequentia probatur, de Deo est discurrendum  
per analogiam ad creaturas, ergo. quod dist. ultimum ant.  
Si ex tali comparatione in Deo non resultat aliqua imper-  
fectio conc. si aliqua resultat N. ant. quod Rex nequeat  
intendere vellus aureum viro equestri per modum coro-  
næ, arguit in ipso aliquam limitationem, & impotenti-  
am, ed quod in sua potestate non habeat merita illius, nec  
industriam, nec bonum usum: è converso Deus in sua  
potestate habet merita hominum, & bonum usum liberi  
arbitrij, unde non debet intendere electis gloriam ex prae  
visis meritis.

Contra. De Deo discurrendum est per ordinem ad  
creatures, quando inde nulla in Deo oritur imperfectio,  
sed quod Deus intendat gloriam ut praemium ex praevisis  
meritis, nulla in Deo oritur imperfectio, ergo. minor  
probatur, in tantum oriretur, quia non ordinatè vellet,  
sed si intenderet gloriam ex praevisis meritis minime inor-  
dinatè vellet, ergo. Minor probatur, per hoc quod Prin-  
ceps det aureum vellus in praemium viro equestri ex prae  
visis meritis, nullus dicit, quod inordinatè vult, imò tali-

R

ter

ter argueretur, si id non intenderet ex prævisis meritis, ergo. *R.* N. consequentiam, disparitas est, quia ad hoc ut Rex dicatur ordinatè aliquid velle, sufficit quodd operetur juxta conditionem suæ voluntatis, quæ cùm non sit effectiva meritorum, & industriæ viri equestris, quæ sunt ratio, & fundamentum, quare aureum vellus obtineat rationem præmij, non potest illud taliter velle, nisi ex prævisis meritis. At si Deus intenderet gloriam per modum præmij ex prævisis meritis non operaretur juxta conditionem, & exigentiam suæ voluntatis, quæ potest efficere merita electi ad gloriam: hinc antequam illa prævidentur intendit gloriam ut præmium. Ex quo colligis, quid dicendum sit ad id, quod adducitur de Principe.

Urgebis ad hoc ut aliquid possit intendi per modum præmij, debent adesse merita, cùm merita sint fundatum, vel saltem conditio sine qua res non esset præmium, sed si Deus intendit gloriam sine meritis, non ad- sunt merita nec in se, nec in prævisione, ergo. *R.* dist. majorem. debent adesse merita objectivè tanquam ratio motiva N. eminenter in sua causa conc. majorem, & sic distincta minore N. consequentiam.

Contra si merita sunt tantum præstò eminenter, & in causa, Deus non potest intendere electis gloriam ut præmium formaliter, ergo. probatur ant. eò modò est præmium, quò modò sunt merita, sed merita electorum non sunt formaliter præstò Deo prædestinanti, ergo. *R.* dist. mi-

norem sed merita electorum non sunt formaliter præstō  
Deo prædestinanti, sunt tamen ex vi continentiae eminen-  
tialis inffalibiliter ponibilia conc. non sunt inffalibiliter po-  
nibilia N. minorem, quod sufficit, ut possit Deus electis  
intendere gloriam per modum præmij.

Obijcies 2. Deus actualiter dat electis gloriam ex me-  
ritis, ergo etiam illam intendit ex meritis. Consequentia  
probatur, actualis gloriæ collatio se habet per modum  
actus externi, sed hoc ipso, quod actualis gloriæ colla-  
tio se habeat ad modum actus externi debet illam intende-  
re ex meritis, ergo minor probatur. Actus externus de-  
bet proportionari actui interno, sed actualis gloriæ colla-  
tio, & intentio eiusdem se habent per modum actus ex-  
terni, & interni, ergo debent ad invicem proportionari,  
consequenter si actualis gloriæ collatio est ex meritis,  
etiam ejusdem intentio erit ex meritis. R. actualem glo-  
riæ collationem proportionari alicui actui interno, sed  
hunc non esse decretum intentivum, quod non respicit  
merita, sed decretum executivum, quod supponit me-  
rita prævisa.

Contra non datur decretum executivum distinctum  
ab intentivo, ergo illi proportionari non debet actualis  
gloriæ collatio. ant. probatur. Decretum executivum  
versatur circa salutem ut vestitam suis circumstantijs: Sed  
etiam decretum intentivum versatur circa salutem ut ve-  
stitam suis circumstantijs, ergo non datur decretum exe-  
cuti-

cutivum distinctum ab intentivo. minor probatur. Elec-  
tio ad gloriam, sive decretum intentivum est efficax, er-  
go versatur circa salutem ut vestitam suis circumstantijs,  
consequentiam probo, quia voluntas antecedens, quâ  
Deus vult omnes salvos fieri, est inefficax, respicit salu-  
tem secundum se spectatam, & præcisam à circumstan-  
tijs, ergo si decretum intentivum est efficax versatur circa  
salutem ut vestitam suis circumstantijs. R. 1. admittendo  
utrumque decretum versari circa salutem ut vestitam suis  
circumstantijs, sed non eodem modo: Decretum enim  
intentivum respicit salutem, & ejusdem circumstantias  
quatenus sunt terminus actus pure gratuiti: econtra de-  
cretum executivum respicit easdem ut sunt terminus  
actus Justitiae; unde ista duo decreta sunt distincta. R. 2.  
Decretum intentivum versari circa circumstantias impli-  
citè, quatenus virtualiter importantur in gloria intenta,  
at decretum executivum ad utrumque ad gloriam simul  
& circumstantias se explicitè extendit, quamobrem ista  
duo decreta distinguenda sunt. Per quod habes, quod vo-  
lentes antecedens nec implicitè respiciat media ad salutem,  
saltē cum ea infallibiliter connexa: licet implicitè im-  
portet auxilia sufficientia.

Dices: decreto intentivo, & executivo correspondet  
idem numerô effectus, scilicet gloria, ergo sunt adæquate  
idem. R. dist. ant. Correspondet idem numero effectus  
materialiter conc. ant. formaliter N. ant. gloria, seu ejus-  
dem collatio ut est virtualiter, & in radice gratuita cor-  
respon-

respondet decreto intentivo; prout verò exterior gloriae  
collatio est formaliter ex justitia correspondet decreto  
executivo.

Obijcies tertid ex absurdis. Si prædestinatio fit primò  
ad gloriam, sequeretur in prædestinatis non manere liber-  
tatem ad salvari, veldamnari, hoc non est dicendum, er-  
go nec illud, ex quo sequitur. Libertas consistit in indis-  
ferentia ad oppositum, sed posita prædestinatione tollitur  
libertas ad oppositum, ergo: minor probatur, si libertas  
persistaret, posset homo non perseverare in gratia, & dam-  
nari, sed positò decretò de salute homo non potest dam-  
nari, quia Decretum Dei nullus potest irritum facere. **R.**  
Sicut de decreto prædeterminante, dist. ult. majorem pos-  
set homo non perseverare in gratia, & damnari in sensu  
composito N. majorem, in sensu diviso C. majorem. Ad  
objectionis intelligentiam nota, prædestinationem ad glo-  
riam non movere immediatè prædestinatum ad operan-  
dum, sed potius electionem ad gratiam, nec illa præde-  
stinatio ad gloriam est primum antecedens suppositum:  
nam ante illam prædestinationem per voluntatem Dei  
præcedit scientia Dei, quâ novit se habere media talia, qui-  
bus prædestinatus fit cooperaturus liberè, voluntariè; &  
sic scit talia media esse certa, & infallibilia ad conducen-  
dum ad gloriam, quem voluerit prædestinare, sicquè li-  
bertas stat cum prædestinatione.

Dices prædestinatio est antecedens omnino necessa-  
rium, ergo tollit libertatem, ant. probatur, omne præ-  
teri.

teritum est simpliciter necessarium, unde Aristot. &  
Ethic. hoc solo ait privatur Deus ingenita facere quæ facta  
sunt, sed prædestinatio alicujus est præterita, cum jam  
ab æterno fuit facta, ergo prædestinatio est antecedens  
omnino necessarium. R. N. minorem quodd prædestina-  
tio sit præterita: nam idem in Deo est prædestinasse, præ-  
destinare, & prædestinatum esse, cùm actus prædesti-  
nandi sit in nunc æternitatis, non transit in præteritum.  
Fateor tamen prædestinationem esse necessariam prædesti-  
nato ex suppositione propter immutabilitatem voluntati-  
tis divinæ; non tamen absolute. Ex quo corruit illud di-  
lemma, propter quod multi desperant: vel ab æterno præ-  
destinatus sum, vel reprobatus. Si prædestinatus, neces-  
sariò salvabor, & quidquid faciam veniam, ad quod me  
Deus elegit, et si pessimè vixero: Si reprobatus sum, ne-  
cessariò damnabor etiamsi sanctissimè vivam. Hæc argu-  
mentatio est laqueus diaboli multos in æternam damna-  
tionem trahens. Ista argumentatione ut refert carriere ex  
S. P. Augustino lib. de dono perseverantie cap. i. Quem-  
dam Monachum sui Monasterij eò fuisse adductum, ut  
tandem delecta professione Religiosa ad sæculi voluptates  
reverteretur, ac periret. Cæsarius idem penè recenset de  
Ludovico lantgravio obstanti correptionibus Religio-  
rum, qui eum ad bonam vitæ frugem reducere conaban-  
tur, quid factum, incidit in gravem morbum, accersit  
Medicum cordatum sanè, & memorem argumentatio-  
nis ordinariæ, quâ Longavius dissolutionem, & intem-  
peran-

perantiam excusabat: ut quid vocasti me ait Domine mihi,  
frustra vocas me: nam si venerit hora Mortis tuæ, certè  
morieris, nec possum te juvare, si non venit, non indi-  
ges ope mea. Quid ita ait Lantgravius, quin juva me, an-  
te quam adrepat mors: tum Medicus, si putas vitam cor-  
poralem posse conservari medicina corporali, cur similiter  
non credis, vitam æternam sperari, & adipisci posse, con-  
tritione, & pœnitentia: vicit hoc verbo Medicus, & per-  
suasit Lantgravio. Quamvis igitur prædestinatio juvari  
nequeat quantum ad ipsam ordinationem divinam, bene  
tamen quantum ad effectum ejus prout. S. Th. dicit: p. i. q.  
23. art. 8. in o.

## CONCLUSIO XIX.

reprobatio, propter habet Vr pro eXCLVslone reprobata  
a gLorla fit ante præVisa DeMerita. \*

**P**robatur Si reprobatio sumpta pro absoluta exclusio-  
ne reprobi à gloria tanquam beneficium indebitum non  
esset ante prævisa demerita, esset idem, quia Deus vult vo-  
luntate generali salutem omnibus, eosq; ordinavit ad  
vitam æternam; simulq; videtur repugnare divinæ cle-  
mentiæ, velle aliquem excludere à bono gloriæ sine deme-  
ritis: sed ex nullo horum repugnat, reprobationem abso-  
lutè sumptam esse ante prævisa demerita, ergo reproba-  
tio prout habetur pro exclusione gloriæ sit ante prævisa  
deme-

demerita. Minor probatur, imprimis non repugnat ex primo capite, quia ex voluntate antecedente de salute omnium solum infertur, Deum non posse omnes collectivè reprobare, non verò quodd nequeat aliquem in particulari: nam per hanc voluntatem Deus solum vult salutem secundum se sumptam praescindendo à circumstantijs, consequenter potest Deus alias circumstantias permettere, quæ impediant consecutionem salutis; Nonne Deus supposita voluntate salvandi omnes denegat auxilia efficacia, ergo etiam potest denegare salutem: non minùs enim est Dominus gloriæ, quam gratiæ efficacis.

Item si Deus genus humanum in puris naturalibus reliquisset, adhuc probeneplacito suo potuisse unum, alterumve elevere ad statum supernaturalam, ergo quamvis Deus ordinaverit omnes ad ordinem gratiæ, potest aliquos excludere à gloria. Quorum omnium ratio est, quia Deus ordinando naturam humanam ad ordinem supernaturalem, & volendo voluntate antecedenti salutem omnibus, ita vult, quodd non præjudicet suæ perfectioni, aut impedit manifestationem suorum attributorum; cùm ergo attributum misericordiæ exigat, quod aliqui salventur: attributum justitiæ, quod permittat cursum causalium liberarum, quæ nonnunquam per malum usum deficiunt à suo fine, & sic damnantur. Nec repugnat misericordiæ divinæ, cùm gloria sit cuique homini indebita. Neque dicere valet, qui duobus indigentibus succurrere valet, & non succurrit, is imisericors abolutè dicendus est,

sed

Sed Deus cuilibet reprobo prædestinandô succurrere potius let, ergo imitericors est. R. i. majorem esse veram, quando quis obligatur succurrere, Deus verò non obligatur, cum gloria sit cuique homini indebita. 2. Id verum esse de agente, & provisore particulari, non verò generali, cuius differentia ea est, quod Provisor generalis curare debeat, quod conservetur pulchritudo, & diversitas hujus universi, quæ talvatur in hoc, quod aliqui perveniant ad suum ultimum finem, alij verò ab eodem deficiant.

Probatur. 2. Finis prius debet intendi, quam media, ergo exclusio à gloria intenditur à Deo, priusquam prævideat demerita, ant. patet ex præcedenti conclusione.

Confirmatur datur in Deo decretum intentivum, quod vult simpliciter gloriam ante prævisa merita, & decretum executivum, quod intendit dare gloriam ex meritis, ergo etiam datur in Deo decretum intentivum, quod aliquos simpliciter excludit à gloria tanquam beneficio indebito, & executivum quod infligit pœnam æternæ damnationis ex demeritis.

Obijcies Reprobatio prout includit voluntatem infligendi pœnam præsupponit demerita prævisa, ergo etiam eadem præsupponit, ut est absolutè exclusio à gloria, ut à beneficio indebito. Consequentia probatur, omnis pœna præsupponit demerita, sed exclusio à gloria est aliqua pœna, ergo præsupponit demerita, minor constat, nam talis exclusio est pœnalis, ut patet in creatis. R. dist.

dist. minorem exclusio à gloria est aliqua pœna præsuppositivè, & causaliter causalitate per accidens conc. formaliter, aut causaliter causalitate per se tali N. minorem. Verum quidem est, quod pœna æterna, aut damnatio sequatur ad exclusionem gloriæ, sed præsuppositivè tantum, & non formaliter, aut causaliter causalitate per se tali, quasi exclusio à gloria aliquem influxum positivum præberet ad damnationem.

Contra Reprobatio ut est absoluta exclusio reprobi à gloria se habet præsuppositivè, & quasi causa per accidens ad inflictionem pœnæ æternæ, ergo est ex prævisis demeritis. Consequentia probatur, hoc ipso, quod absoluta reprobatio se præsuppositivè, & ad modum causæ per accidens habeat ad inflictionem pœnæ æternæ, jam aliquo modo, & virtualiter intelliguntur cognosci demerita in illo signo, in quo est reprobatio per modum exclusionis à gloria tanquam beneficio indebito, quia Deus excludendo reprobum cognoscit perfectissimè suum actum voluntatis excludentem, consequenter, & demerita, ad quæ præsuppositivè se habet, & cum eis quasi causa per accidens conjungitur. Rz. dist. intelliguntur cognosci demerita in illo signo adæquato, in quo est reprobatio N. intelliguntur cognoscidi demerita in illo signo inadæquato, in quo est reprobatio conc. Hæc distinctio ita explicatur, eadem reprobatio, ut est absoluta exclusio reprobi à gloria, & ut includit voluntatem infligendi pœnam æternam est idem actus

actus voluntatis divinæ, in eodem signo rationis adæqua-  
to elicitus: sed sicut juxta nostrum concipiendi modum  
idem actus voluntatis ut est exclusio à gloria ut beneficio  
indebito præcedit se ipsum, ut includit voluntatem puni-  
endi: ita dicimus in illo signo reprobationis inadæquate  
sumpto Deum non cognoscere demerita, bene tamen in  
alio signo inadæquato, & posteriori.

Instabis Exclusio à gloria pro omni signo non potest  
intelligi sine demeritis præviisis, ergo solutio nulla. ant.  
probatur exclusio à gloria respicit pro fine inflictionem  
pœnæ æternæ, sed inflictio pœnæ prælupponit demerita,  
ergo & exclusio à gloria illa respicit. *R. N.* ant. exclusio à  
gloria non respicit pro fine inflictionem pœnæ, sed mani-  
festationem suorum attributorum.

Urgebis. Per inflictionem pœnæ manifestantur attri-  
buta v. g. justitia, ergo si exclusio à gloria respicit mani-  
festationem attributorum ut causam motivam, respicit  
etiam inflictionem pœnæ. *R. N.* consequentiam instan-  
do, per intentionem gloriæ manifestatur misericordia, er-  
go si intentio gloriæ respicit manifestationem suorum attri-  
butorum tanquam causam motivam, respicit etiam me-  
dia. Consequentia non valet. Unde dist. ant. per infilctio-  
nem pœnæ manifestantur attributa, manifestantur per  
modum occasionis talis manifestationis conc. per infilctio-  
nem pœnæ manifestantur attributa tanquam rationem  
formalem manifestandi attributa *N. ant.*

Obijcies 2. Si Deus excluderet reprobum à gloria ante prævisa demerita, esset causa damnationis reprobri, hoc non est dicendum, ergo. Sequela probatur, ita se habet reprobatio ad reprobos, sicut prædestinatio ad prædestinatos, sed prædestinatio est causa salutis electorum, ergo reprobatio erit causa damnationis reproborum, sed hoc repugnat scripturæ, quæ dicit oſeæ 13. *perditio exte Israel.*

Confirmatur Exclusio à gloria est causa virtualis, & à priori decreti permissivi, hoc est ratio subtractionis gratiæ efficacis, hæc est ratio à priori lapsūs in peccatum, hoc inducit, & trahit post se inflictionem pœnæ, ergo de primo ad ultimum exclusio à gloria est causa damnationis. Consequentia tenet, quod est causa causæ, est etiam causa causati.

R. Ad objectionē R. N. Deum esse causam reprobationis positivæ, sive damnationis, quia non est causa demeritorum, quæ reprobatus ex propria malitia, & libertate comisit: nisi velis dicere Deum esse causam demeritorum, in quantum subtrahit gratiam efficacem, & permittit hominem labi in peccatum, sed hoc manifestè falso est, Deus enim stante suo decreto permissivo dat peccatori auxilia sufficientia, quibus potest non peccare, unde si peccat, suæ perversæ voluntati peccatum adscribere debet. Aliter est discurrendum de prædestinatione, hæc verè est causa actualis collationis gloriæ, cum sit causa meritorum: non enim Deus mala, sed bona operatur.

Ad

Ad confirmationem dico, quod est causa causae est etiam causa causati eodem modum, quod est causa, est causa causati, concilium aliter. N. Decretum permissivum non est causa positiva subtractionis gratiarum, & haec lapsus in peccatum, cum nullum influxum in illud habeat, sed voluntas, quae stante auxilio sufficienti non operatur conformiter ad legem, unde nascitur peccatum: Quia tamen Deus est causa effectiva decreti permissivi, sequitur Deum esse causam permissivam peccati, per hoc tamen nulla imperfectio Deo accrescit sed perfectio, cum permittat tanquam Provisor generalis motus causarum liberarum.

## CONCLUSIO XX.

Opinor probabilius, ex hominibus probatos, & pavores predestinatos. \*

**H**æc Conclusio probatur Authoritate, primo verbis Christi Matth. 7. *Intrate per angustam portam, quam lata porta, & spatiosa via est, quæ dicit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: quam angusta porta, & arcta via est, quæ dicit ad vitam, & paucisunt, qui inventiunt eam.* Item introducitur Deus loquens Esdræ 9. *Olim locutus sum, & nunc dico, & postea dicam: quoniam plures sunt, qui pereunt, quam qui salvabuntur.* Probatur etiam ex Chrysost. hom. 40. ad populum dicente *Quot esse putatis in hac Civitate, qui salvi fiant? infestum est, quod*

*quod dicurus sum, verum tamen dico. Non possum in tot  
millibus centum invenire, qui salventur, imò & de his du-  
bito. Abulensis q. 69. in Matth. supra illud, multi sunt  
vocati, pauci electi, dicit: Multi sunt vocati ad fidem, id  
est convertuntur ad Deum, sed pauci electi, quia pauciores  
Christianorum sunt, qui salvantur, quam qui damnantur,  
ergo si ex Christiano populo plures damnantur, quam sal-  
vantur, quid porr̄d aliud dicendum est de populo gentili?  
Consequenter major est numerus reproborum, quam  
electorum.*

*Probatur etiam ratione. Tunc plures sunt reprobati,  
quam prædestinati, quando plures damnantur, quam  
salvantur, sed sic est, quod plures ex hominibus damnen-  
tur, quam salventur, ergo ex hominibus plures sunt re-  
probati, quam prædestinati. Major subsistit: nam dam-  
natio, & salvatio sunt signa infallibilia divinæ prædestina-  
tionis, aut reprobationis. Minor probatur, si plures ex  
hominibus non damnarentur, sed salverentur, deberent  
plures esse, qui essent fideles, observantes legis naturæ, &  
divinæ: hæc enim sunt necessaria ad salutem, sed non sunt  
plures, ergo. minor patet, quot proh Deus! sunt, qui  
intra quam extra Ecclesiam instar brutorum sequuntur,  
quid quid propria sensualitas indit absque consideratione,  
num illud sit conforme legi naturæ aut non? ergo. Neq; tot  
Gentiles, Judæi, Hæretici prætendere possunt ignorantia  
in invincibilem, ed quod non sit ferè infidelis, qui non  
patiatur scrupulum, aut luspcionem, num sua fides vera  
sit*

sit, si ergo non investigat, hoc solum sufficit ad æternam  
damnationem.

Obijcies inter homines fiunt plura bona opera, quām  
mala, sed per bona opera salvantur, & mala damnantur,  
ergo plures salvantur, quām damnantur, consequenter  
plures sunt reprobati, quām prædestinati. Minor proba-  
tur: Deus plura bona opera permittit, quām mala, ergo  
inter homines fiunt plura bona opera quām mala. *R. N.*  
consequentiam, quia stante tali permissione Dei homi-  
nes utuntur suō liberō arbitriō, quodd in malum proclivius  
est, quām in bonum, unde declinant à bono, & faciunt  
frequentius malum.

Contra Deus permittit pauciora mala physica, & im-  
pedit majora, ergo etiam pauciora permittit malla mora-  
lia, & impedit majora, sed positō divinō impedimentō  
pauciora fient ab homine mala, ergo restat inferre, non  
obstante libero arbitrio hominum plura fieri bona opera,  
quām mala. *R. N.* conseq. disparitas est, quia bona phy-  
sica potissimum proveniunt ex causis necessarijs, quæ  
cūm careant libertate, eas dirigit Deus in suum finem con-  
naturalem, hinc mala physica evitantur. At verò cūm  
Deus creaturam rationalem, qualis est homo, permittat  
in manu consilij sui, illam non dirigit in suum ultimum fi-  
nem, nisi juxta conditionem suæ naturæ, quæ cūm libe-  
ra sit, & prona in malum, deficit pro voluntate sua in bo-  
no, & proficit in malo.

Insta-

Instabis operatio Dei perfectior est, quam naturæ, sed in operibus naturæ bonum frequentius est, ergo etiam in operibus Dei, sed opera Dei sunt bona opera hominum, ergo manet inter homines plura fieri bona opera. *R. dist.* minorem subsumptam opera Dei sunt bona opera hominum elicivè N. motivè. *conc.* minorem subs. id est Deus non efficit opera hominum eliciendo illa, nisi ut causa generalis, quia tamen voluntatem movet ad illa elicienda, quod fit per gratiam, inde opera hominum sunt opera Dei. Jam verò cùm homo à gratia, & motione divina ad actum non necessitatetur, sed relinquatur in libertate sua, inde plura fiunt mala opera.

Urgebis bonum naturæ absoluē frequentius est, sed salvatio, & bona opera sunt bonum naturæ rationalis, ergo frequentius est. *R. dist.* majorem, bonum proportionatum communi statui naturæ frequentius est *conc.* bonum naturæ inproportionatum communi statui naturæ frequentius est N. minorem. Beatitudo & bona opera supernaturalia excedunt exigentiam naturæ, neque illi debentur, neque proportionantur, proinde plures à beatitudine deficiunt.

Dices Supposita elevatione naturæ rationalis ad statum supernaturalem illi debetur beatitudo supernaturalis, quia per tales elevationem jam redditur, & dicitur beatitudo supernaturalis hominis propria: tumquia per elevationem aquirit aliquid jus ad vitam æternam. *R. Supposita*

sita elevatione naturæ rationalis ad statum supernatura-  
lem homini non deberi ab solutè beatitudinem supernatu-  
ralem, sed tantum reddi potentem, & capacem talis bea-  
titudinis. Ad probam dico beatitudinem supernaturalem  
dici propriam hominis, ad illamque habere jus, non qua-  
si illius esset propria rigorosè, ut est res Domini sui: sed  
tantum quia potest ad eam per auxilia gratiæ pertingere,  
illamque sibi reddere propriam: sicque aquirere aliquod  
jus ad vitam æternam.

Contra Beatitudo supernaturalis excedit etiam exi-  
gentiam naturæ Angelicæ, & tamen plures Angeli illam  
assecuti sunt, quam ab illa defecerunt, ergo et si beatitu-  
do excedat bonum commune naturæ humanæ, plures il-  
lam conseqvuntur, quam ab ea deficiunt. R. N. conse-  
quentiam. Quod vero plures Angeli salvi facti sint, pen-  
det à divina voluntate, quæ voluit, ut pauciores defici-  
ciant à suo fine, quia futuri erant immediati Spiritus ad-  
ministratorij Dei, quales tamen non sunt homines. Item  
excellentior est natura Angelica, quam humana, cui  
proinde debebat amplior ordinatio in finem, quam ho-  
minis.

Dices. Ad extra major est Dei misericordia, quam  
justitia, ergo plures homines ordinavit in vitam æternam.  
R. Majorem Dei misericordiam ad extra colligimus, ex  
eo, quod homines assumat ad suam hæreditatem, quæ  
omnino omnibus indebita est. 2. Majorem Deus nobis-

T

cum

cum exercet misericordiam, quam justitiam, quia nos  
non punit de condigno. 3. Quia Filium suum misit, per  
quem generalem misericordiam, id est Redemptionem  
consecuti sumus.

# A. M. D. G.

*Hæc, & omnia alia subijcio sensui Ecclesiae  
Romanæ: protestorque, & retracta-  
tum volo, si quid in eis fidei con-  
trarium lateret.*

# CONCLUSIONES PROPUGNANDÆ.

1.

**I**MPLICAT IN VISIONE BEATIFICA DARI SPECIEM IMPRESSAM CREATAM, QUÂ Deus quidditativè repræsentetur, ut in se est.

2.

Sed ipsa essentia divina gerit vices speciei impressæ, & expressæ.

3.

Lumen gloriæ est tota, & adæquata virtus proxima agendi in visione beatifica.

4.

Perfectior intellectus cum æquali lumine gloriæ, elicit visionem æqualiter perfectam.

5.

Deus non potest supplere lumen gloriæ, aut sine illo videri.

6.

Non est possibilis substantia supernaturalis creata, cui connaturaliter conveniat lumen gloriæ.

7.

Essentia divina non potest intuitivè videri sine attributis, & personalitatibus.

8.

Omnes creaturæ possibles non possunt videri nec in verbo, nec extra verbum.

9.

Mysterium SSS. Trinitatis non est naturaliter cognoscibile.

10.

Principia proxima processionum divinarum sunt intellectus, & voluntas, ut connotant Relationes.

11. Pro-

11.  
Processio verbi est generatio, quia procedit in similitudinem naturae formaliter ex vi processionis suæ.

12.

Relationes divinæ non addunt aliquam perfectionem distinctam à perfectione essentiæ.

13.

Dantur in Deo tres subsistentiæ relativæ virtutaliter ab essentia distinctæ.

14.

Relatio Spirationis activæ non distinguitur realiter à Paternitate, & Filiatione.

15.

Verbum divinum per se procedit ex cognitione creatura-  
rum possibilium.

16.

Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingue-  
retur realiter ab illo.

17.

Deus vult omnes salvos fieri.

18.

Electio ad gloriam non fit ex prævisis meritis.

19.

Reprobatio ut est exclusa à gloria tanquam beneficio inde-  
bito fit ante prævisa demerita.

20.

Major est numerus reproborum, quam prædestinorum.

F I N I S.

i  
i  
f  
b  
7  
.

NAR. IN UNIV. KNJIŽNICA  
LJUBLJANA

153895